# BARTHOLOMÆI TORTOLETTI
# ACADEMIA POMPEIANA
## SEV DEFENSIO MAGNI POMPEII
*In adminiſtratione Belli Ciuilis.*

ROMÆ

Excudebat Ludouicus Grignanus.

cIↃ IↃc xxxix.

SVPERIORVM PERMISSV.

NAPOLI

Bibl. dom. Prof. Neap. Soc. Iesu catal. inscript.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

# FRANCISCO

## CARDINALI BARBERINO

### S. R. E. V. CANCELLARIO

BARTHOLOMAEVS TORTOLETTVS. F.

*ANTE annos quatuor ſuprà viginti Romanæ in Academia celeberrimo cōſeſſu Actiones Apologeticas pro Cn. Pompeio Magno ſeptenas habui. Opus haud minùs Politicum, quàm Oratorium, nec non laboris, & periculi plenum, cum ſinè periculo labefactandæ dignitatis eſſe nequeat prò re dicere, contrà quam ſentiunt pleriq; omnes. Admonuere vulgandas amicorum non pauci. Itaquè recolui nauitèr, atq; in meliorem formam redegi, nequè in theatrum literatorum prodire veto. Debebunt profectò homines, ſi minùs laudare, at ſaltèm*

*probare induſtriam meam. Ego enim cauſam rei ago tùm mortalibus gratæ, tùm innatæ; ea vero libertas eſt, quam vnuſquiſquè, vel cum periculo capitis tueri non dubitat. Debebunt non illibentèr contrectare oculis, quæ olim pronis auribus excepere; cum eorum præſertìm memoria temporum recenſeatur, quibus rei Romanæ nulla maior acceſſio potentiæ, & gloriæ facta fuit, quàm quæ ab Syllæ dominatu ad exitum Imperij Auguſti toto illo ſeculo continetur. Te autem, FRANCISCE, Cardinalis ampliſsime, Romanum Principem defenſioni Romani Imperatoris, & quidèm ſummi patronum adſcire quàm æquum ſit, pluribus diſſerere non eſt neceſſe: etenim in tanta claritudine fortunæ, in quà tibi ad ſummam gloriam nihil deeſt, cum & materia, & locus ſuppetant, vbi tua virtus eniteſcit, à tua dignitate non videtur alienum extinctos etiam reuiuiſcere, atquè in tuum ſinum, tanquàm in aſylum confugere. Quamobrèm tutior erit tui ope nominis, & ſapientiæ Pompeius meus, quàm ſuis olìm legionibus, & fatali equitatu fuerit. Quin verò vel ipſa Academia, in*

*qua primùm noſtra Romæ ſtudia claruerunt, cum ab auctoritate tua potiſſimùm pendeat, te mirum in modum admiratur, quaſi æqualitate contentum, ſui tamèn partem eſſe. Nequè porrò non eſt, quod me quoquè mea cauſa moueat; nàm humanitatis tuæ pluribus argumentis excitatus ſatis probè expertus ſum, quàm de me ornando cogites. Cæterùm cum in Ciuitate ſimus omnium arbitra, in qua ob ingeniorum excellentiam, copiamquè vel maxima nihil ſunt, mihi vehementèr reformidare iudicia literatorum neceſſe eſſet, apud quos nullus apex dignitatis in oratione ad perfectā laudem ſatis eſt, niſi tuo patrocinio conſiderem. Habebis autèm in priſco facto recentem Politicam; nequè enim ex eo fortaſſe pauca ad vſum labentium temporum deriuari poterūt, aut in antiquis ſpectari præſentia. Vtinàm meus hic labor apud te vſqueadeò tuæ fortunæ partem induat, vt ad immortalitatem ſplendidiſſimo contactu firmetur. Vale.*



*Plaudite, Romulidæ; fatum dulcedine Magni*
*BARBERINA ſua triſte reformat APIS.*

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

*I. B. Alterius Epiſc. Cam. Viceſg.*

---

## *APPROBATIO OPERIS.*

POmpeianas Apologias D. Bartholomæi Tortoletti V.C. & eloquentiſſimi Reuerendiſſ. P. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri authoritate, ſumma animi voluptate perlegi: nec in eis quidpiam Orthodoxæ doctrinæ contrarium offendi; Quin potiùs Inuentionem, & Elocutionem, adeò in ijſdem excellere deprehendi, vt humilia ſubtilitèr, magna grauitèr, & mediocria temperatè dicantur, cuncta demùm prudentèr, ornatè, atque appoſitè, ad perſuadendum, abſquè iudiciali aſperitate, forenſibuſquè aculeis. Nimirùm M. ipſum Tullium eloquentia æmulatus Author, Argumenti magnitudine ornamenta Cn. Pompeij cum priſcis Oratoribus videtur meritò comparandus. Quocircà Opus hoc iure optimo Romanis Typis ad publica commoda euulgandum cenſeo. Romæ die 23. Septemb. 1639.

*Fr. Gregorius Donatus Ord. Præd. S. Theol. Mag. Pro S. D. N. Examinator Epiſcoporum.*

---

*Imprimatur.*

*Fr. Reginaldus Lucarinus Mag. Reuerendiſſ. P. Fr. Vincentij de Florentiola S. Pal. Apoſt. Mag. Socius Ord. Præd.*

# Pompeianarum Actionum Oeconomia.

IN *prima rationes exponuntur, quibus permotus Auctor Pompeium à calumnia vindicandum ſuſceperit. Tùm calumniatores recenſentur. Qua occaſione mores, inſtitutaquè Pompeij, & Caeſaris inuicèm conferuntur. Tandèm ſeptem errata proponuntur obiecta Pompeio in adminiſtratione belli Ciuilis.*

*In ſecunda duae primae obiectiones refelluntur.*

*In tertia confutantur tertia, & quarta.*

*In quarta tres reliquae diluuntur.*

*Mox de tripertitis cauſis gradatim diſputatur, cur Pompeij, & Reipublicae partes exciderint.*

*In quinta itaquè de cauſis Politicis agitur:*

*In ſexta de Fato, Aſtris, Numeris philoſophicè pertractatur.*

*In ſeptima de Theologicis demùm diſquiritur.*

POM-

# POMPEIANA PRIMA.

NATVRÆ parentis arcano, atquè admirabili quodam conſilio adeò ingenita eſt nobis miſeratio, Academici nobiliſſimi, vt ſi quem vel à ſumma, vel etiàm à mediocri fortuna in graues ærumnas incidiſſe animaduertimus, continuò commoueamur, miſeramquè hominis conditionem apud nos ipſos deploremus, ſeu quoniàm ſimilitudo, & ſpecies eadem hunc humanitatis ſenſum elicit, ſeu quòd eiuſmodi exemplo recordamur eadem nobis impendere poſſe, quę ille patiatur, atquè eò vehementiùs perturbamur, quò is, cui aut diuini infinita ratione conſilij, aut nefaria hominum voluntate atrocia illa contigerunt, innocentia clarior fuerit, minùſque eiuſmodi calamitate dignus fuiſſe videatur. Eſt etiam igno-

ignotus quidam conſenſus rerum, atquè animorum inter ſe, quem Platonici ad genios, ad ſydera, ad animam mundi referre ſolent, ex quo decepti fortaſsè nonnulli, qui Ariſtotelica monumenta cum ad illuſtrandum acceſſiſſent, eorum obſcuritati craſſiores tenebras attulerunt, in eam hæreſim lapſi ſunt, vt vnam omnium hominum eſſe animam arbitrarentur; illud enim conſecuti experientia ſumus occultam ineſſe nobis quandam vim, cuius ductu & eadem ſentire, quæ multi, & aliorum affectionibus miſceri poſſumus. Ergà Cn. Pompeium Romanorum omnium, qui domi, foriſquè rebus præclarè, ac fortitèr geſtis immortalem hominum memoriam conſecuti ſunt, facilè principem (non enim fortunam cogito, ſed virtutem) & Magni cognomento planè maiorem ità mecum adoleuit innata paruulo miſeratio, atquè eius cauſam, caſumq; adeò nauitèr amplexus ſum, vt nunquàm ferè ſine lacrymis in eorum temporum recor-

datio-

dationem me incidere fas ſit, quibus & floréntiſſima Reſpublica interijt, & tantus vir, cum iam fortunæ dominari videretur, fortunæ ludibrium fuit, doleámquè calamitatem, ac rerum omnium quaſi in eorum proditionem conſenſum; non ſecùs ac recentem plagam, quæquè aſſiduè recrudeſcat. Cũ verò aut Scriptores obuij ſiũt, aut in ſermones hominũ incido, quos etiàm nequè piget, nequè pudet prętèr fas calumniari Pompeium, prout plerique illos, quos vis ſuperior humana profligauit, contumelijs quoq; obruere, tanquàm ingeſta humo, honorificum ſibi ducunt, tùm quidèm eorum iniurias, & libidinem ferre nequeo; videtur enim illud mihi peſsimum conuiciandi genus, & crudelis animi argumentum locupletiſsimum, ſi quis in hominem calamitoſum, & depreſſum probra quoquè & calumnias conferre minimè dubitet. Quocircà quod ſæpè mihi in mentem venit, vt Pompeij dignitatem ſuſciperem defendendam, id ve-

ſtra

ſtra auctoritate nùnc demùm effectum eſt; nàm cum me ad dicendum impuleritis, quod veſtrum ſanè conſilium in tanta loci amplitudine, qui mei tenebras ingenij cognoſcat, probabit nemo, hoc vnum argumentum mihi propoſui, quo ſi Cæſari admodùm puero Mariana trophæa reponere licuit, licere mihi quoquè arbitratus ſum Pompeij laudes poſt tot ſecula reſtituère,& cùm Politicos, tùm doctos homines in eius partes vocare;nequè iniucũdum illud veſtris auribus,aut inutile futurũ confido. Sicùt enim,quamquàm antiquiſſimi ſint hi cœli,quos ſuſpicimus, vetuſtiſſima lumina,quibus fruimur, aſsidui ortus, & occaſus, ac ſtellarum traiectiones; nulla tamèn conditio officit aſsiduitatis, aut vetuſtatis, quominùs luminum regem Solem, cæteraſquè pulcherrimas cœli faces, totquè orbium, & Planetarum globos admiremur, & cum voluptate videamus,dierumquè,ac noctium viciſsitudines perpetuò probemus;ſic eius

gene-

generis hiſtorijs, atquè exemplis antiquitatem, cognitionemuè haudquaquàm obeſſe arbitror, quorum in amplitudine aliquid ſempèr noui ſitum eſt, quod noſtræ vitæ inſtitutis prodeſſe poſſit. Intendam igitùr omnes neruos in confutandis accuſatorum argumentis quàm aptiſſimè per ingenium licuerit, & depoſita paulíſpèr ſarcina moleſtarum cogitationum, huic vni induſtriæ operam dabo, quò impenſiùs meis partibus ſatisfiat.

Pauca tamèn præfari operæ pretium exiſtimaui de genere hominum, qui viro fortiſſimo Cn. Pompeio minùs congruentèr ſuccenſere conati ſunt, vt effoſſis, rectiſquè morbi, quaſi radicibus, noxios deindè calumniarum ramos facillimè cōuellamus. Fuerunt itaquè vel hoſtes, vel amici, vel plerìquè, qui cum illam temporum acerbitatem non vidiſſent, nequè in ea nati eſſent, nullo amore, nequè odio tenebantur. Hoſtium vniuerſorum caput Cæſar, inter amicos Cicero, & Cato nu-

merantur; neutras partes Plutarchus, & plerique huiuſmodi poſteriores hiſtorici ſibi vendicant, quorum in numero multi etiàm, qui noſtra tempora tetigerunt, habendi ſunt. Quod ad primum ſpectat accuſatorum genus, ſatis liquidò conſtare arbitror pondus in hoſtium argumentis nullum eſſe, neque illi habendam fidem; qui facta inimicorum ſua libidine metiatur: nàm quis vel mediocritèr exercitus vſu rerum, ſuam cauſam cum defendit; non eas excogitat rationes, coloreſquè non venatur, quibus illa quamplurimùm exornetur, & quam longiſſimè ab iniuria abeſſe videatur; in aduerſarium autèm nō omnes flagitiorum globos detorquet, omnia criminum tela non iaculatur, quibus ille maximè labefactetur? Quò magis Cæſari omnium hominum callidiſſimo, omnemquè penitùs dicendi vim, & facultatem cognitam, perſpectamquè habenti è foro, ac iudicijs hauſto cauillationum veneno enitendum fuit, vt ſua cōſilia, ſuaſq; actio-

actiones ijs rationibus ornaret, atquè in ſpeciem muniret, quibus nihil iuſtius fuiſſe videretur; cum verò de Pompeio loqueretur, ità reprehenderet, vt omnem in eum Ciuilis belli, atquè adeò euerſæ Reipublicæ culpam transferret, clademquè ab illo acceptam, ipſiuſmet imperitiæ, atquè imprudentiæ vitio verteret. Etenìm naturæ prauitate ità comparatum eſt, vt de ijs, quæ peſsimè geſsimus, optimè diſſeramus, & quicquid laudis detrahimus alteri, eius nobis acceſsionem fieri putemus; imò verò & vulgò vſuuenit, vt non ea factorum ratio eſſe videatur, quæ verè exiſtit, ſed quæ fuco, & pigmentis eloquentiæ à diſerto veteratore confingatur.

Lubet hoc loco de via deflectere paulìſpèr, & rationèm, inſtitutumquè viuendi ab vtroquè toto tempore ſeruatum per ſumma capita recenſere, & conferre inuicèm, ſi modò de via deflexus illa oratio dicenda eſt, quæ ad inueſtigãdam rei originem, naturamquè intimè pertinet, quæ-

què ad propoſitos fines faciliorem moli. tur acceſſum. Vtriquè cupido gloriæ, ac potentiæ immenſa, finis idem in Republica principem locum adipiſcendi;artes non eædem, imò verò mens, atquè ipſa ratio finis diuerſa. Pompeius, poſtquàm ad Rempublicam acceſsit, cum maximis muneribus perſungeretur, atquè omnia ſperare poſſet, etſi nihil magis, quàm ea expeteret, quæ ſuprà memoraui, tamèn neque dignitatem amauit, neque potentiam, quæ ab ſe occuparentur, vt Paterculi verbis vtar, ſed quæ ad eum publico iure deferrentur,nequè conſenſit, niſi cæteris volentibus, cæteros anteire: ad hanc metam omnem ille vitæ ſuæ curſum, ac rationem inſtituit; ſatiſque ſe aſſecutum putauit, ſi communibus commodis, atquè ornamentis priuatam laudem coniungeret,atquè inter patriæ titulos Magni nomen inſcriberetur,& Pompeianæ Lauri frondeſcerent.

Cæſari ab ea ætate, qua primùm ſapere

cœpit,

cœpit,C.Marij affinis ſui,& L.Syllæ exempla reputanti nihil adeò interius fuit,quàm rei Romanæ dominationem, atquè abſolutam tyrannidem conſequi, nàm cum parere indignaretur, atquè eſſet arcta domi res, nequè priuatæ opes vaſtitati ingenij exæquarentur, nihil prætereà ſibi ſatis eſſe poſſe arbitrabatur, niſi omnia ſui iuris feciſſet. Eò meditationes omnes dirigere, in eo totus eſſe,& ſimùl ac literas attigit,continuò adijcere animum Dictaturæ, nequè illud vocibus, querelis, lacrymis, quaſi quibuſdam igneis ex Ætna,aut Væſeuo globis erumpẽtibus nòn plerumquè palàm ſignificare; nihil enim æquè angit hominem, atquè amplitudo animi cum anguſtia fortunæ coniuncta. Nequè Syllam feſellit opinio, qui plures Marios in huiuſmodi puero malè præcincto, tanquàm de ſpecula præcognoſcens ægrè cohiberi potuit, quominùs ſecurim naſcenti admoueret exitio, pullulantemquè ſenſim perniciem ex agro Reipublicæ tolleret.

Illi regnum gratia Ciuium, fortunæ clementia, propria virtus vſquè in ſinum, tanquàm in aſylum ſæpenumerò contulere; nàm & adoleſcens Syllanis partibus Dux adſcitus inchoatam à Dictatore dominationem facilè proſequi, & Piratico primùm, deindè Mithridatico bello confectis, validiſſimis copijs ſtipatus, ampliſsimis fultus clientelis, libertatem opprimere, Senatum dignitate, Magiſtratus auctoritate ſpoliare ſua eſſe in poteſtate intellexit. Quodquè inprimis excitat admirationem, cum difficillima tempora incidiſsēt, publicæquè ingruerent calamitates, ne inimici quidèm ab eius amplitudine abhorruerunt, ſed ex eorum ſententia potiſsimùm noua lege, atquè inſtituto ad euitandam Dictaturæ inuidiam, quam ſæua, & tyrannica dominatio Syllæ conflauerat, Conſul ſolus creatus eſt, quaſi vnum illud Reſpublica afflicta perfugium haberet, nequè vbi ſeruiendum foret, alteri ſeruire dignum duceret, quàm illi, in cuius ſinu

quie-

quietura libertas, non moritura videbatur. Ipſe tamèn vera prædictus animi magnitudine omnem libidinem regni abiecit, & maior ſeipſo, minùs voluit, cum poſſet maximè. Itaquè eò magis meruit imperium, quò minùs ſuſcepit, cum illud abſquè dedecore ſuſcipi intelligeret neutiquàm poſſe, quod ſine flagitio teneri nequiret. Ex quo factum eſt, vt iure gloriaretur Magiſtratus omnes ſe aſſecutum, priùs fuiſſe, quàm ſperaſſet, citiùs depoſuiſſe, quàm ſperatum eſſet, eamquè ſolidam, manſuramquè laudem arbitraretur.

Hic cùm dominatus ſibi à nemine deferretur, omnem mouit lapidem, cuius ope ad illum ſe peruenturum ſperare poſſet, nequè enim in Ciuitate motus quiſquam fuit, ad quem aures regni venator non arrigeret canis iſte; non vt ſaluti, atquè incolumitati publicæ conſultum vellet, ſed vti, ſi qua rei benè gerendæ occaſio daretur, libertatem funditùs exterminaret, atquè in ſummo poteſtatis gradu

conſiſteret. Miniſtraſſe ipſum quidèm vt plurimùm Catilinæ faces, quibus patriam ampliſsimam deuaſtaret, conſtans fuit opinio multorum; nequè multò pòſt cum Craſſo conſpiraſſe, pactumq; eſſe, vt poſtquàm ille Dictaturam inuaſiſſet, Magiſter equitum diceretur, conſtitutaq; Republica pro libidine, per bonorum direptiones, & Ciuium ſanguinem debaccharetur. At omittamus hæc, quæ cum euentu caruerint, de ijs nihil certi affirmare pro arbitrio debemus, & ad comperta, explorataq́; tranſeamus; quibus enim ignotæ ſunt artes, quibus ille eundem Craſſum, Pompeiumquè circumuenit induxitquè, vt ad conſtituẽdum quaſi in Republica Triumuiratum, in ſuam ſocietatem coirent, quo ſe ad tyrannidem compararet? ex eo Galliarum adminiſtratio tantoperè concupita, vti nimirùm proximo in ſeceſſu validiſsimis nationibus iniuſto vt plurimùm bello laceſsitis athletico more exerceretur, atque ad illud ferrum incumberet acuen-

acuendum, quod maternis Romæ viſceribus in tempore poſſet immergere.

Magnus beneuolentiam Ciuium, militum, ſociorũ bonis artibus quæſiuit, grauiſsimis pro Republica laboribus obitis, ingentibus contemptis periculis, ſingularibus collatis beneficijs; tantamquè eſt aſſecutus, vt vel ipſi Reges victi, nationeſq; debellatæ victorem haùd tantum diligerent mirum in modum, ſed colerẽt etiàm, atquè vti Deum cæſis victimis adorarent, & ſecutis temporibus Auguſtus cum nepotes, aut priuignos in prouincias, atquè euenta bellorum dimitteret, ijs beneuolentiam in primis gentium, quæ ergà Pompeium fuerat, à Dijs malè creditis precaretur.

Caius ſollicitare blanditijs animos, & callido ſumptu, plebem ad ſe trahere epulis, congiarijs, largitionibus, promiſsis, quæſtui habere Magiſtratus, matronarũq; ipſarum ambitum, corrumpere militem donis, allicere inſupèr exteros Reges, &

ſocias gentes, nec nòn à puero ad omnem turpitudinem deſcendere, non tàm vti laſciuam expleret libidinem, quàm vt amici, & pecuniæ pararentur, quibus artificibus, & cæmentis conceptam ſibi iampridèm animo ad dominandum viam commodè ſterneret. Ex quo patet, Auditores, huic Xenocrati in Pompeia vxore dimittenda, quantum infamiæ metus obtentui fuerit, quod enim in ſe ipſo neglexit, ridiculum eſt, ſi in coniuge pertimeſcat, ſed in hac re quoquè aliquid meditatum fuiſſe Cæſarem putandum eſt, quod magis expediret ad tyrannidem capeſſendam; crimen nequè detulit, nequè inuenit.

Cneus fauit bonis, & fortibus viris, fouit probos, & ſapientes, ad honores virtute egregia præditos Ciues vocauit, ab impuris, & furentibus ornandis, quoàd eius fieri potuit, nauitèr abhorruit, corruptiſquè, ac perditis moribus ad medendum lectus ſatìs, ſuperquè ſumma cum

laude prudentiæ ſuo muneri ſatisfecit.

Iulij domus, caſtraquè vnicuiquè patere peſſimo; conſilium, pecunia, auctoritas præſtò eſſe; ad eum ſeditioſi, decoctores, obærati omnes, tanquàm ad patronum, & parentem confugere, omnes hoſtes libertatis, licentiæ auidi, quorum ab interitu Reipublicæ vita pendebat. Nec nòn vſqueadeò improbis Cæſar fauit, vt poſt Ciuile bellum in ſupplendis Senatoribus, quorum ex charitate in patriam exhauſtus numerus, vſquè ad mimos rem deduxerit. Huiuſmodi ſatellitum gratia non legibus locus, non comitia libera, non facultas ſententiarum in Senatu dicẽdarùm tuta, & quibuſcumque in Rempublicam corruptelis aditus patuit. At bonis omnibus aduerſus collegam Bibulum optimè de Republica ſentientem domi cõcluſit, conſulatum ſolus adminiſtrauit; M. Tullium Ciceronem Clodij miniſterio Italia expulit, ne tantus vindex libertatis ſuis conatibus aduerſaretur: Ac de

optimis adcò Ciuibus, quos perpetuò oderat, prò libertate patriæ trucidatis, quamquàm externarum gentium quæſito nomine, triumphauit. Quorum bonorum amicitias iniuit, vt callidè fecit, ità eoſdem ipſorum opibus circumuentos euertit, eoquè conſilio vel Pompeium colere inſtituit, & filiæ matrimonio ſibi coniunxit, vt ab eo euectus in eundem mutuatam potentiam iniquiſſimè retorqueret, proditumquè omni prorsùs amplitudine ſpoliaret. Imò verò ne populo quidèm ſtuduit vnquàm, niſi vt opprimeret, nequè patriȩ militauit, niſi vt opes eiuſdem auſpicio partas in ſuam libidinem, ac furorem transferret.

Pompeius tantas opes è præda, & manubijs Orientis domiti ad communem vtilitatem ærario inuexit, vt vaſa, aurum, argentumq; ſignatum ad viginti millium talentorum ſummam peruenerint, præter ingentem liberalitatem, qua ſena ſextertia militibus, qui minùs accepere, viritim

diui-

diuiſit. Cumquè ante id bellum vniuerſa Romanæ ditionis tributa; & vectigalia quinquagies decies centena millia minimè excederent, ijs adiectis, quæ populo Romano quæſiuit ipſe, ad octuagies decies centena millia prorsùs aſcenderint.

Cæſar primo Conſulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio tantumdem inaurati æris repoſuit; oppida Luſitaniæ complura non inimica inimicè diripuit; Fana, templaquè Galliæ referta Deorum donis expilauit; ſocietatem populi Romani exteris gentibus pretio dedit; Regna per mercaturam diſtribuit; vni Ptolemæo ſex millia talentorum callidè abſtulit; initio belli Ciuilis ærarium exhauſit. Quæ omnia à Suetonio, atquè alijs hiſtoricis firmamentùm, & fidem accipiunt.

Pompeius à prima ætate in ſinu virtutis educatus alieno lacti aſſueſcere neutiquàm potuit, nihilquè niſi à virtutis vberibus profectum ad extinguēdam fortiſsimi viri magnanimam ſitim valuit, nequè mino-

rem

rem illi cõtentionem fuiſſe exiſtimauerim aduerſus voces aſſentantium, & fortunæ blanditias, quàm contra ferociſsimas nationes, quas vbiquè debellauit, cum vberiorem ſibi ex modeſtia gloriam quærendam cenſuerit, quàm ex victorijs.

Cęſar fas, nefaſuè ſequeretur, nihil penſi habuit, vti capeſſeret dominationem. Teſtis Euripides, cuius verba frequentiùs vſurpare ſolitus fuit.

*Si violandum eſt ius, regnandi gratia*
*Violandum eſt.*

Atquè adeò Rempublicam iugulare nihili fecit, vt cum prouinciæ fines impotenti audacia prætergreſſus rueret in patriam, faceſq; Capitolio inferendas manu teneret, ludere ſe etiàm exiſtimaret, iactamq; eſſe aleam palàm proferret.

Ille planus, rectuſq; fluuius, & ſuo contentus alueo, non per viarum obliqua, agrorumq; detrimenta ad ſummæ dignitatis Oceanum violẽtis alluuionibus contendebat. Hic præceps, immaniſq; torrens

vni-

vniuerſa diruere, ac ſecũ rapere feſtinabat. Ille in firmamẽto Romani Cęli iucundum ſydus ſuis itineribus æqualiter inhærebat, nihilq́; niſi propitium, & ſalutare Reipublicæ denuntiabat: Hic inæqualibus infauſtus Cometes traiectionibus circumcurſans nihil, niſi calamitoſum, atquè exitiabile portendebat. Cum Pompeio deniquè eò res deducta fuit, vt bona ipſius, malaquè ad Rempublicam pertinerent, vt ſalus Ciuitatis cum ſalute Pompeij coniuncta foret, vt qui tutam eſſe patriam vellet, idem incolumem Pompeium quoquè velle deberet. Cum Cæſare adeò ſecùs, vt quicumque populi Romani imperium diligeret, eiuſmodi hominem odio haberet, atq́; ex vnius Cæſaris euerſione præſidium Reipublicæ pendere cenſeret.

Huiuſmodi habemus, Auditores, Pompeium noſtrum, huiuſmodi accuſatorem Pompeij Cæſarem. Quod ſi dicant aduerſarij. Bonum Imperatorem quærimus, nõ virum probum. Ego illos ad ſecuturas di-

ſputationes dimittere non dubitabo, cum probè nouerim me nihil in re militari defuiſſe Pompeio Magno demonſtraturum; ſed de vtriuſquè aut innocentia, aut improbitate ciuili quadam nonnihil videndum erat, vti & de accuſatoris fide conſtaret, nequè multa ſilentio premerentur, quę ad obiectorum confutationem propoſitam pertinere fateantur neceſſe eſt. Vos ex ijſdem, quæ adhibendæ aures Cæſari ſint, tùm cauſæ ipſius gratia, tùm ingenij, qua æquitate, & prudentia de rebus omnibus ſentire ſoletis, Viri clariſſimi, iudicate.

Plurium, qui Cæſari fauent, eiusq́; virtutes in Cœlum ferunt, offenſas à me intelligo valdè aures, ijs enim præclarum in primis facinus videtur tantum imperium comparaſſe, miramquè animi magnitudinem fuiſſe prędicant eouſquè auſum eſſe priuatum Ciuem, vt ſummo ſe inter mortales loco dignum duxerit, & rem infinitam aggreſſus egregiè fuerit. Vidi etiam

viri in Ciuitate nati libera commẽtarium, quo idea ferè boni Principis è vita Cæſaris ducebatur; nequè miratus non ſum aut hominem ità ortum ea dicere potuiſſe, aut impunè illi fuiſſe; qui enim cum Cæſare ſentit, atquè eius partes tuetur, is bonus in Republica Ciuis eſſe nulla ratione poteſt. Ego verò, vt omittam, quàm id facilè fuerit habenti exercitus, & prouincias, quæ res cuiuis ſtrenuo apud populũ Romanum patebat, quibus ſanè iuſtitiæ viribus nitantur minimè video, nequè ſcio hominem, qui arma contra Patriam tulerit, & libertatem deleuerit, quæ leges abſoluant, multò minùs laudandum decernant, cum nihil excogitari poſſit iniquius, quàm eas opes inſtrumenta ſibi Tyrannidis inſtituere, quibus ornatus, auctuſquè ſis, quaſquè ad Rempublicam defendendam Reipublicæ manu ſuſceperis. Nàm quæ alia cauſa fuit, cur Lentulus, Cethegus, Catilina hoſtes patriæ iudicati more maiorum damnati, necatiquè ſunt, quàm

quod

quod ij, quod Cæſar fecit, idem facere voluerunt? Illi igitùr pœnas dederint, qui à fortuna deſtituti minùs potuere, hic laudetur, atque etiàm Patriæ pater appelletur, quì cum illa arctiſsimè coniurauit, atquè ad Tyrannidem manu deduxit? Itaq́; peccandum liberè; vnum modò cauēdum eſt, ne exitus fallat aggreſſum; ſi perfeceris, optimè factum, ſin minùs, ſceleratus es, parricidij, maieſtatis, impietatisq́; crimine contaminatus. Quæ autem magnitudo animi cenſeri poteſt alienum rapere, niſi virtus, quo nihil affirmari valet abſurdius, contra virtutem pugnet? Quod ſi dicant illud Cæſarem Reipublicæ cauſa feciſſe, quò nimirùm afflictæ, diſtractæq́; ſubueniret, ò miſeram, & deplorabilem ſanè Reipublicæ conditionem, cuius vlceribus ſanandis vnius ſapientia, fortitudoq́; viri, quem deſcripſimus, ſola par. Prædicant etiàm illius clementiam mirum in modum, quaſi verò magnoperè glorioſum ſit homines ſeruare, quos læſeris, & vi-

tam

tam permittere, quibus nihil præterea reliquum feceris, neque ex vſu Cæſaris eſſet confirmare clementia dominationem. Cuius tamen iniuria adeo inuitos, & reluctantes animos intime penetrauerat, atq; à natura hominum diſſidebat, vt ne clementia quidem, neque beneficia ipſum diu tueri potuerint. Quamobrem Brutum, Caſſium, cæteroſque, qui charitate patriæ, ac ſtudio libertatis in Cæſarem coniurarunt, neque ſcelere contaminatos, neque ingratitudinis nota inuſtos appellare audeam; nam, vt cauſam omittam, vnuſquiſque noſtrum proprio periculo teſtari poteſt beneficia, ſi ab eo ſint, quem non amaueris, cuique ſubijci nolueris, maleficia eſſe, eoq; grauius accipi, quo recuſare minus licuerit. Cæterum quæ virtutes, & quidem plurimæ, in eo fuere, in tẽpore memorabo; quæ inquam ad rempublicam referuntur, neutrum enim extra Rempublicam eſt animus dijudicare, neque quid boni, maliue geſſerint recenſere;

Qua

Qua in vniuerſitate factorum vt integris, & florentibus ambobus omnium cómuni opinione mortalium Pompeius excelluit, nequè Catullianorum carminum laniatibus patuit, ità quæ ſplendida vnà cum ipſo ſepulta videbantur, & Cæſarianæ factionis potẽtia oppreſſa, tanquàm collapſa domo, nihil ornamenti reliquum ſupereſt, haùd multò pòſt in priſtinam claritudinem reſtituta è tenebris emicuerunt, atquè ex eorum Eclipſi temporum, proùt Soli clariſſimo mundi oculo ex coitione cum Luna víuuenit, egregiè eruperunt. Verùm eius laudes, & honeſtiſſima vitæ ratio cum in Maniliana, in Philippicis, in omnibus hiſtorijs diſertè cómendata poſteritati sũt, nequè vt diligentiùs cómemorentur, modeſtia Pompeij patitur, tùm vti paulò antè dicebamus, ad cauſam non faciunt, cui nulla ſimultate, nulla gratia ad ſeruiendum incitamur, cum tantũ à noſtris temporibus, atquè inſtitutis in hoc buſto, atquè vmbra Imperij vterquè abſit, vt nul-

las

las iniuria, beneficiouè laceſſitus cauſas habeam, quibus permotus alterutram partium fouere debeam, . nequè præter fas quicquam ob oculos mihi proponere.

Hactenùs Imperatorem hoſtium vidimus, Auditores, cuius quidèm ſectatores fuiſſe ſimiles ambigere opinor neminem; quare eos recenſere ſuperuacaneum puto. Nùnc amicos exploremus, qui cum vincendi inprimis deſiderio conflagraſſent, neq́; penès ſe cladis culpam eſſe paterentur, nemini mirandum eſt, ſi omnem contumeliam dolore detrimenti in Pompeium reijcere non dubitarunt, ipſiq́; acceptum retulerunt, quòd fuerint deſtituti, cum tamèn illos non Pompeius, ſed fortuna, atquè adeò ſemet ipſi deſtituiſſent. Fortunam autèm (ſerò Auditores animaduerti) temerè, atquè incuriosè plerunquè vſurpaui; liceat mihi tamèn in Ethnico negotio, Ethnicè pauliſpèr lòqui; Chriſtiano more in tempore diſſeram.

De Catone igitur, ac Cicerone mihi eſt

quæſtio,quorũ alter nimia ſeueritate, cùi iam ea tempora paria non erant, ad Rempublicã capeſſendam acceſſerat; alter ſiuè infirmitate laborans animi, ſiuè vtilitate prudentiam metiens ſeruire tempori perdidicerat. Nàm quid Catone durius fuit? quid horridius? quid crúdelius? etenim ad diſſidendum, repugnandumq́; magìs natus,quàm ad ſana conſilia ferenda, Pompeio inſenſior, atquè acerbior fuit, quàm prò quacumquè grauiſſima iniuria dignitatis, aut capitis eſſe alteri quiſquam poſſit, cum tamèn in domum Catonis pudicitia Pompeij nihil turpitudinis intuliſſet. Tantam ipſius morum, & diſciplinæ aſperitatem elegantèr ſanè,atq́; acutè perſtringit Cicero in defenſione L. Murenæ: & videtur mihi quoquè illa Zenonis educatio ciuili ſocietati non admodùm conſentanea,cum ibi tantùm ad amuſsìm coli potuerit, vbi nequè amori, nequè odio, nequè cæteris affectionibus locum ſolitudo eſſe pateretur; nequè ſerò exitus docuit,

 cuit,

cuit, quanto cum Reipublicæ incommodo illud Cato ſuſceperit vitæ inſtitutum, ac leuiſsima quæq; peccata perſecutus fuerit. Etenim Catilinariæ coniurationis peſtis nemo eſt, qui neſciat, quàm latè patuerit, & magnum mortalium numerum comprehenderit, qui adeò ad ſpem nouarum rerùm inflammati, erectiquè ſunt, vt quamquàm oppreſsis, interfectiſquè Ducibus, adhùc tamèn Ciuitas incredibili agitatione fluctuaret, nequè boni à metu, ac periculo ſe abeſſe poſſe intelligerent. Præcipua timoris cauſa Cæſar, qui vti ſuſpectus anteà, ità deindè perditis hominibus caput accedere vnus auſurus eſſe videbatur. Bellum ea tempeſtate gerebat in Aſia Cn. Pompeius, & vbiquè victor ad extremas terras ingenti ſui terrore penetrabat. Cumquè ad ſedandos Vrbis motus, ad ordinandam, componendamquè ritè Rempublicam ingenti opus eſſet virtute, ſapientia, auctoritate, vnus ipſe, in quo hæc omnia ſumma erant, ad hoc natus fuiſſe

videbatur. Res ad populum delata eſt. Metellus tribunitio iure fultus, ſimùl ac de homine cum exercitu reuocando legem ferre conatus eſt, ab huiuſmodi ſalutarium rerum perpetuo obijce M. Catone repentè prohibitus nihil profecit. Lex deſiderata, non lata dolorem attulit, non ſalutem. Vtinàm minus ponderis habuiſſet auctoritas tua, M. Cato. quod ſi extrà forum vidiſſes, & leuiſsima victoria gauiſus non fuiſſes, amiſſæ dolore Reipublicæ caruiſſes; etenim qua os Metello manu claudebas, eadem oſtium Tyrannidi Cæſaris aperiebas; adhùc illa peſtis in incunabulis latitabat, nondùm eruperat, nondùm adoleuerat; non Conſulatus Cæſarem, non prouinciæ, non exercitus muniebant, nullæ aderant homini publicæ opes. Si Metello obtemperaſſes naſcentem in nido colubrum nullo periculo compreſsiſſes. Nequè hoc ſatis. Vos non latet, Auditores, quam ſententiam vſurpare frequentiùs M. Cato ſolitus eſſet, haùd nimirùm Pompeij

cum

cum Cæſare inimicitias, vt cæteri ferebant, ſed nexum Rempublicā perdidiſſe. Quicquid ſit, de huiuſmodi quæſtione, in proxima actione diſputabimus, qui eius eſt locus. Hìc cum omnia Catoni concedimus, aperienda eſt Catonis inſania, atquè homo ſuamet cuſpide feriendus; nàm ſi Pompeij cum Cæſare nexus Rempublicā perdidit, ipſe, qui nexui cauſam dedit M. Cato, ſine controuerſia perdidiſſe dicendus eſt, nequè abeſt ab iniuria, cum ſui criminis alterum damnat. Pompeio ſapientèr magis, quàm ſeuerè Rempublicam adminiſtranti, & corruptis moribus neceſsitate temporū nonnihil indulgenti matrimonium neptis, ſiuè, vt quibuſdam placet, filiæ negauit, quòd eam rationem gerendarum rerum ſummum flagitium exiſtimaret, quæ à ſumma ſeueritate abeſſet. Si affinitas illa nihil ad Rempublicam pertineat, eſto, ſibi ipſi ſatisfaciat M. Cato, æquum eſt enim in collocandis filiabus ſuos mores, ſuum ingenium vnumquem-

quemquè ſequi. At tu ipſe confiteris, M. Cato, ad Rempublicam pertinere, atquè idcircò abſtinendum cenſes, ne ob priuatas cauſas ijs rebus aſſentiri in Republica debeas, quarum ſit tibi pænitendum. An verò cæcutirè Cæſarem putas, cum tu non videas callidum hominem ità eſſe comparatum, vt Pompeio immineat, offerat filiæ nuptias, vltrò id petat, à quo tu abhorreas, occaſionem deniquè tùm obſeruet, tùm minimè negligat? cum itaquè profitearis te nihil tua, omnia Reipublicæ cauſa facere, tametſi multa in Luculli gratiam te feciſſe ſatis conſtet, quin hoc præcaues, & quò grauiſsimum vites malorum, leuiſsimum eligens ijs conſilijs aſſentiris, quæ minùs obeſſe poſſunt, cum vtilioribus non eſt locus? O virùm ſanè ſapientem, qui dùm omnia Reipublicæ cauſa facit, contra Rempublicam maximè facit, qui fontem aperit extremæ calamitatis, qui iacit ſemina ſeditionum, belli Ciuilis, euerſionis Reipublicæ, Tyrannidis. Præterea

cum

cum cauſaris peccata Pompeij, quæ tua Cato, confeſsione ne minimæ quidèm harum cladium parti ſunt vllo modo comparanda, quæ fortitudo, quæ probitas tibi eſt, qui tuæ virtuti in minutiſsimis rebus quoquè diffidas? qua ratione cum virum fortem, probumquè labefactari poſſe in maximis neges, vel minima reformidas? cùr apud Stoicos nequicquàm tandiù verſaris? quin potiùs Pompeium ſperas, ſi ſit malus, tuo vſu, & conſuetudine bonum fore; ſin bonus, optimum, quod incrementum bono non eſt difficile? Tua te peruicacia tranſuerſum egit, M. Cato, intempeſtiua ſeueritas tua; fruere modò ea Republica, quam à peccatis Pompeij tanto ſtudio vindicare non dubitaſti. Verum enimuerò animaduertite adhùc, ſi placet, Auditores, inſanam hominis conſtantiam. Feruēte potiſsimùm Ciuili bello, & Pharſalico prælio imminente, profligato ſtatim Cæſare (quod pleriquè ſibi conſtantiſsimè pollicebantur) Pompeium quoq; de-

ponendum, aut etiàm opprimendum homo ſapiens palàm iactabat, quaſi in poteſtate Pompeij vniuerſa nequaquàm forét, nequè armatus Imperator ſtatuere de Republica pro arbitrio valeret. Quamobrèm iuſtè quidèm mea ſententia eſt actúm cum Catone, ac cæteris eiuſdem notæ hominibus, vt cum Pompeij dignitati tanta ſeueritate, ac contentione Republica ſuperſtite obſtitiſſent, ei deindè haud potuerint ſeruire, cum vellent, eſſetquè alius, cuius aut tolerare dominatum, aut libertatem morte tueri cogerentur. Hunc ergò in reprehenſoribus nacti ſumus, Auditores, qui illam rerum acerbitatem in Pompeium refert ſanè ſapientèr, cuius ipſe vt plurimùm auctor fuerat, quæ eius potiſſimùm cauſa cœperat, exarſerat.

Tranſeo ad M. Tullium, qui cum arbitratu ſuo Rempublicam gerere voluiſſet, conſiliorum omnium aſpernator, quorum ipſe auctor minimè fuerat, cum ſui rationem extremis illis tẽporibus à Pom-

peio haberi nullam intelligeret, ſeu ſuſpicione inconſtantiæ, ſeu odio dicacitatis, cumq́;ad Cæſarem tranſire Romanas opes animaduerteret, ſibi diſcors, diù dubius, neq́; aliena conſilia probauit, neq́; ſua; tùm potiente rerum Cæſare, Cæſaris fortunæ blãditus temporum viciſſitudini obſecundauit. Quod ſi rem hìc quoquè ad ſua principia reuocare libet, haùd minùs ipſe Reipublicæ fortaſsè obfuit, cum legatus in Galliam ſequi Cęſarem recuſauit, quàm Cato, cùm Pompeio affinitatem, & matrimonium filiæ negauit; ſanioribus quippè conſilijs temperare vim Cæſaris in tempore potuiſſet. Ea igitùr in cauſa fuere, cùr nonnulla Pompeio obiecerit. Cæterùm quid ex animo ſenſerit, cum ad ſe reuerteretur, pluribus id locis palàm teſtatus eſt, cum Tyrannum alterum, & parricidã, alterum hominem penè diuinum, lumen, ac decus populi Romani, & pleraquè generis eiuſdem in epiſtolis, in orationibus, in ijs, quos de Philoſophia ſcripſit, libris

ſre-

frequenti appellatione vſurpauerit: imò verò ipſo quoquè ſuperſtite poſt victoriá Cæſare, Pompeium vt Ciuem optimum, atquè Imperatorem fortiſſimum conſtantiſſimè collaudauit. Quæ autèm dixiſſe interdùm aduerſus Pompeium videtur, omiſſis ſuperioribus rationibus(nàm cum homine amiciſsimo quàm longiſsimè à calumnia abeſſe debemus)illa quidèm ex nimia beneuolentia fortaſsè fuere, cum Pompeium ſuos amores ſæpè appellauerit: quos enim valdè diligimus, & plurimi facimus,in ijs ſempèr aliquid reliquum eſt, quod optare, & requirere ſoleamus. At cauſam æſtimare non eſt neceſſe, carpſit M.Tullius, neq; leuis aduersùs ipſum quoquè diſceptatio à nobis ſuſcepta eſt.

Tertium accuſatorum genus erat,quod nulla gratia, nulla inuidia partium tenebatur, quodq; Ciuitatis conuerſo iampridèm ſtatu nullas attigerat libertatis reliquias, nequè dulcedinem æqualitatis deguſtauerat. Quocircà cum vnius dominatio

natio à Cæſare parta, deindè in Auguſto, & Tyberio adulta, diuturnaq; inualuiſſet, ac ſucceſsionibus continuis pateret latiſſimè; mirum non eſt probaſſe eiuſmodi homines illum rerum ſtatum, quem inuenerant, & à quo non mediocres vtilitates fortaſsè capiebant, & poſthabita veritate aſſentationi operam dediſſe, cum à ſucceſſoribus Pompeij nullo affici beneficio poſſent. Qui verò noſtri temporis plerique mortales ſe Cæſari deuouerunt, neſcio quo ducti ſpiritu fuerint, niſi fortè, ſeu quià vicit, ſeu quià maximè politicus, atquè earum artium gnarus, quæ ſolerti nũc vbiq; ſtudio coluntur, fuiſſe videatur.

Quæcumquè igitùr obiecta fuere viro maximo Cn. Pompeio, ea ſiuè ab inuidia, ſiuè ab indignatione, & dolore, ſiuè ab aſſentatione, atquè ingenio profecta ſunt. Quapropter nequè vobis, Auditores, negare accuſatoribus fidem, nequè mihi arduum fortaſsè fuerit eiuſmodi rationes in medium afferre, quibus nutantes, atquè

adeò imbecillis fundamentis nixæ calumniæ diſſoluantur, & corruant. Neq; enim maledicendi libidine mores obtrectatorum commemoraui, cum nihil à me longiùs abſit contumelia; ſed mihi auctoritate, exemploquè grauiſsimorum Oratorum cauſæ ſeruiendum fuit, vt omnes intelligant, quàm culpa carere oporteat, qui alterum damnat. Cærerùm reprehenſiones proſequar, nõ reprehenſores, quos ne ſæpè quidèm ſuis nominibus appellabo.

Nùnc ad calumnias ipſas deſcendamus, quæ ſanè duplici genere continẽtur, nàm vel ad res antè Ciuile bellum geſtas pertinent, vel ad eas, quæ in ipſo contigere Ciuili bello. Ante Ciuile bellum illud vnum, & quidèm grauiſsimum peccatum vniuerſæ calamitatis originem Pompeio exprobrant, quòd hominem ſempèr ſuſpectum, & vitandum incautus artifex regendæ Reipublicæ, ac tuendæ dignitatis incredibili ſtudio ornauerit, Magiſtratuũ, prouinciarum, exercituum demandatorum

rum

rum auctor fuerit, affinitatis nexu munierit, plura in ipſius gratiam contra leges fecerit, Tyrannidem aluerit, hoſtem in ſe, ac Rempublicam ipſam armauerit. In ipſo bello multa ſunt, quæ cauillentur. Primum, quòd bellum atrox, atquè inprimis periculoſum haùd neceſſariò ſuſceperit imparatus; cumquè in eo ſtatu rerum pacis cõditionibus æquiſsimis à Cæſare oblatis aſſentiendum foret, eæ tamèn à Pompeio pertinaciſsimè reiectæ fuerint. Alterum, quòd Romam arcem Imperij, & caput rerum deſeruerit, ac deſperata propemodùm in foribus re, in tranſmarinas, & barbaras regiones Senatum, & ſpes omnes peſſimo augurio traiecerit. Tertium, quòd ſecundò prælio ad Dyrrhachium vſus, victoria quoquè vti, ac Cæſarem debellare cum maximè poſſet, minimè nouerit. Quartum, quòd in agro Pharſalico nulla neceſſitate ſigna contulerit, remquè omnem vnius pugnæ periculo, tirone, collectitioquè inſtructus

exercitu temerè commiſerit. Quintum, quòd cùm in acie diſponenda peccauerit, tùm vbi tuba ſignum dedit, ſuos milites aduersùs hoſtem procurrentes in medio curſu manere iuſſerit, impetum fregerit alacritatem animi, ac ſpem interciderit. Sextum, quòd inclinata re ſtatim animum deſpouderit, & cum vires amplæ, firmæq; nón deeſſent, quibus bellum commodè re-parare potuiſſet, omnibus rebus diffiſus inhoneſta, turpiquè fuga ſubſidium ſibi quæſiuerit. Ad hæc ſeptem capita, ſi pri-mum, quod anteceſsit bellum Ciuile con-numeremus, reuocantur pleraquè omnia, quæ Pompeio obijciunt. Nobis cauſa ma-gìs, quàm ingenio fretis videndum eſt, tantumnè ſit præſidij in aduerſariorum ar-gumentis, quantum ipſi ſibi videntur po-ſuiſſe; quamquàm enim iniquo valdè lo-co certare me ſentiam, ſi euentum rei ſpe-cto, arduumq; ac difficile omninò ſit ibi dicendo ſperare victoriam, vbi gladij, & pila ceſſerunt; tamèn in re ſummum ſibi

locum

locum vendicare fortuna poteſt, in rationibus non itèm; & quoquo modo ſe res habeat, laudabilius exiſtimo optimos defendere, quàm ornare victores. Quoniàm autèm deincèps humanitatis veſtræ præſidio plurimùm intelligo mihi opus eſſe, ea ne ſtatim in veſtibulo longiore oratione imprudentiùs abuter, mihi planè videndum eſt. Quocircà huic mihi primæ diſputationi finem ſtatuendum, remquè integram in aliud tempus transferendam eſſe iudicaui.

---

Vt Actioni eſt finis impoſitus, ſuo more Academici res Poëticas recitarunt, atq; hoc dicentis honori dederunt, vt à re propoſita non abeſſent. Itaq; Socrates primo loco rogatus à Principe huiuſmodi documentum dedit.

*Quemq; potes dãnare virũ; ſic criminis expers*
*Nemo eſt, humana conditione miſer.*

*At*

*At ſi contuleris plures, diſcrimen habebunt;*
*Qui minùs errauit, maximus ille fuit.*

In C. Iulium Cæſarem. Philo.

*POmpeiam expuleras, damnans cõnubia, tecto;*
*Pompeium generum pellis ab Vrbe furens.*
*Neſcio quo fato, ſeu quo diſcrimine vocum*
*Pompeijs ſemper, Cæſar, iniquus homo es.*

In eumdem. Nicocles.

*EIjcis vxorem, generumquè euertis, Iuli;*
*Nec bonus ipſe domi es, nec bonus ipſe forìs.*

In eumdem. Damaſippus.

*INtèr mortales aliquis ſi maior habetur,*
*Quò magis humanum deſtruit enſe genus.*
*Maximus es, Cæſar, poſito qui iure ſub armis*
*Deſtruis externos, deſtruis enſe tuos.*

In eumdem. Archias.

*QVæritis incaſsùm Romã, qui littore ab Indo*
*Pergitis ad colles hos, vbi Roma fuit.*
*Hic*

*Hic cinis, hoc Romæ buſtũ eſt, fractumq́ cadauer,*
*Signa nec imperij iàm tenet vlla ſui.*
*Quæ tanti, quæ cauſa mali, niſi Cæſaris auſum?*
*Indè ruinarum ſemina tota fluunt.*
*Ille quidèm magnus, dici ſi talia poſſent.*
*Conſuluit Cæſar non ſibi, ſed patriæ.*

De Catone Vticenſi. Lyſias.

*ET Roma accedat Põpeio, & maximus orbis,*
*Iuſtitiam cauſæ non tamèn ille probat.*
*Vt Cato Pompeij partes amplectitur vnus,*
*Pergite, non bellum iuſtius eſſe poteſt.*
*Sic hominis magni dubium ſententia tollit,*
*Et cunctis ſolus præualet ille bonis;*
*Ni vincas vnum, Cæſar Troiane, Catonem,*
*Deſine, nequicquàm cætera cuncta ruis.*

De eodem. Gorgias.

*ASpice, magnanimus quam te Cato temnat, Iuli,*
*A te non vitam, non amat ille necem.*
*Totum vince orbem, ſolum ſuperare Catonem*
*Haud pote; par ſolus ſcilicèt ille ſibi eſt.*

*Eripiant ferrum lateri lethale propinqui,*
*Inueniet mortem fortior enſe manus.*
*De te adeò ciuis, non tu de ciue triumphas,*
*Viſcera cum Romam picta Catonis agis.*
*Inuidioſa tibi ô ſpectacula: quàm benè tanti*
*Mutares extis tot tua ſerta Viri.*

De M. Tullio Cicerone. Dionæus.

*QVid facis? ah ferrũ cohibe, ſcelerate ſatelles,*
*Perfugium afflictis eripis omne bonis;*
*Huius præſidio maieſtas nixa Senatus,*
*Hoc vno imperium vindice Roma tenet.*
*At ſe pro cæſo tradet Cicerone piamen,*
*Et Phario hoc odium victor amore luet.*
*Heu libertatis iugulata eſt deniquè cauſa;*
*Non eſt, qui poſſit pro pereunte loqui.*

Eiuſdem Epitaphium. Xenarchus.

*HIc Cicero iacet, aut potiùs Roma ipſa ſepulta eſt.*
*Cum nequit effari, ſcilicèt interijt.*

POM-

# POMPEIANA SECVNDA.

QVAM facultatem, Auditores, admiratus sempèr ſum mirum in modum, cuiquè ineſſe diuinitatem propè quandam exiſtimaui, ea eſt eloquentia; nàm cum anima rationis compos, qua diuini Opificis ſingulari beneficio à brutis animantibus longè abſumus, atquè ad Deum propiùs accedimus, nullum habeat nobilius, atquè certius inſtrumentum, quàm loquelam, qui ſapientiùs, atquè aptiùs loquatur, hunc fateri diuinitatis magis eſſe participem neceſſe eſt; nequè enim fulminibus, ac tormentis bellicis expugnãtur animi, quibus ne Deus quidèm vim afferre ſolet, ſed dicendo. Oratio implacabiles mitigat, peruicaces flectit, infenſos conciliat, rudes docet, doloris, metus, lætitiæ, ſpei

arbitrium gerit, inuidiam exterminat, Rempublicam adminiſtrat, conuentus malorum diſſipat, coniurationeſ opprimit, motus ſedat, hoſtes profligat. Hæc vinculum humanæ ſocietatis, regnorum cuſtodia, naturę interpres, diuinitatis nuntia. Plura deniquè ſunt, quæ illa præſtat, quàm quæ nos aut memorando, aut cogitando conſequi poſſumus; ità vt in eius vnius manu omnium bonorum affluentia poſita eſſe videatur. Dicant, quæſo, reges locupletiſſimi in tanta rerum opulentia, qua vtuntur, & gaudent, vllonè vnquàm tempore induměta geſſerint eius elegantiæ, ac dignitatis, quæ cum illa comparanda ſit, qua pauper orator rebus ornamentum affert? Dicat natura ipſa, quis maiore induſtria pictor prata, atquè agros repræſentet, ſuanè manus, an diſertorum lingua? Iſthæc tamèn miſſa faciamus; eſt quod magis admiremur; etenìm nulla eſſe poteſt vſquàm ſub Cœlo vis, quæ vitam vel adimat, vel conſeruet certiùs, aut

fre.

frequentiùs eloquentia: imo verò eadem mortis hoſtis immortalis ne trophæis quidèm iàm ab illa partis nouit ignoſcere, ac ſepulchris ſpoliatis, & effoſſis propemodùm cadaueribus diuinitatis (ſi fas eſt) æmula vitam reſtituit, nequè eos mortuos eſſe patitur, qui cum laude viuere voluerunt. De Phœnice tradunt plurima, eaquè admirabilia grauiſſimi Scriptores, nequè ſatis ſcio, quid potiùs dicam, narrarenè Poetas, àn Hiſtoricos fabulari. Auem eſſe vnicam, & ſingularem in Solis tutela collocatam, Angelorum æmulatione fermè quadam ſibi ipſi & indiuiduum, & ſpeciem, plumarum varietate, ac fulgore radiantem, criſtatam, coronatamquè, & ſimilitudinem regij diadematis præſeferentem, quæ certa annorum dimenſione, ac recurſu temporum, vbi ſe labefactari ſenio intelligit, pennas languere, membra conuelli, aciem oculorum hebetari, congeſtis in vitalem tumulum arborum virgulis odoratarum, vetuſtatem exuere, in rogo

ſpiritum, in obitu vitam, in ſepulchro cunas inuenire ſperat. Nequè fallit animum audax fiducia. Continuò ad Orientem Solem conuerſa tùm parentem, tùm maritum excuſsis alis ignem accendit, concrematur, renouatur, è fœcundiſquè cineribus renaſcitur longè melior. Quid de aue hac mirabili credendum ſit, dubius animi nondùm affirmare audet orbis terrarum. Ego (nequè temerè fieri puto) citrà omnem controuerſiam hanc eſſe Eloquentiam ſentio, quæ ſub ſpecioſo plumarum venuſtatis, & viuificæ necis inuolucro fabulosè ob oculos proponatur. Auis illa eſt, quæ per patentiſsimas aëris regiones alarum remigio defertur; hæc vſquè adeò in ſublime contendit, vt ne Cœlo quidèm, ac ſyderibus contenta, ad ipſum Deum volatu perueniat. Illa ſub Sole conſtituta nobiliſsimo Planetarum, necnòn ex aſtrorum peritia præditis apprimè regio: hæc tùm Ciuitatibus, tùm ipſis regibus dominatur. Illa nòn habet ſociam,

hæc

hæc nòn æqualem. Adeſt illi mira pulchritudo, & nòn vulgares pennæ varietate colorum diſtinguuntur: hac nihil ſpecioſius, iucundiuſuè, ſi tropos, ſi ſententias, ſi ornatum, & copiam dicendi conſideremus. Nequè dubitandum, quominùs extincta ſæpiùs conflagrauerit, è rogoquè, & incendijs bellorum, & calamitatum publicarum miris natalibus reuixerit; nàm cum incunabula apud Græcos, & prima rudimenta nacta fuerit, adoleuerit, ad ſummam vim, maieſtatemquè peruenerit, vnà cum ipſorum imperio repentè deſijt, Romanoquè Cœlo felicior apparuit. Hìc artifex diſerta regendæ Reipublicæ ornauit leges, tulit plebiſcita, ſcripſit Senatus conſulta, exercuit iudicia, damnauit reos, abſoluit innocentes, compeſcuit ſeditioſos, imperauit bella, percuſſit fœdera, ſanxit pacem, ſeruauit Patriam, Populi Romani cum Solis itineribus æquauit imperium. Hìc verò quoquè, vt cuiquè rei ſui ſunt termini diuinitùs præfiniti, ſtatuto tempore finem

habuit, atquè à priſca illa florentis Reipublicæ pubertate paulatìm in ſenium prolapſa Gotthicæ tandèm immanitatis iniuria in cineres conuerſa eſt. A lacrymis tamèn abſtinete ſtudioſi, reuixit, reſurrexit, atquè eiuſmodi reſurrexit, vt ſi minus lingua, atquè inſtrumentis fortaſsè vtitur cum antiqua dignitate comparandis, fine nihilominùs, atquè officio Romanæ opes eloquentiæ quàm longiſsimè ſupergrediatur; ad communis enìm idiomatis formam tranſlata, eò gratiæ, potentiæquè prouecta eſt, vt Infernas debellet poteſtates, cœlorumquè arcibus munitiſsimis aut vim afferat exorando, aut paret victorias, & adipiſcatur prædas admonendo. Paſsìm id videmus, Auditores, & quantùm ſacræ debeamus eloquentiæ, conſequimur experimento clariùs, quàm vt mea, alienauè hìc ſit opus eloquentia. Quæ cum ità ſe habere fuſiùs fortaſsè, quàm oportebat, rei dignitate adductus, demonſtrauerim, huiuſmodi me carere facultate, & gloria
cùm

cùm dolui ſempèr, tùm hoc loco vehementèr doleo, cum me pro Cn. Pompeio Magnò differētem difficilem prouinciam ſuſcepiſſe intelligo, ampliſsimaq́; ſummi viri merita vbertatem,& copiam dicendi poſtulant ſingularem.

Quod igitùr Pompeio primum ab aduerſarijs vitio dabatur, illud erat, vſquè adeò incùriosè amplificatum ab ipſo Cæſarem, eòq; potentiæ, ac virium prouectum, vt Rempublicam inuadere, ac iugulare deindè potuerit. Quam quidèm rem factam à Pompeio cùm negare neq́; lubet, nequè licet, tùm ei fuiſſe neceſſariò faciendam probare confidimus; quod aſſequemur cum noſtris argumētis demonſtratum fuerit Pompeium ſecùs nequè debuiſſe, nequè facere potuiſſe. Nemo eſt, qui ignoret in Politicis diſciplinis, vel mediocritèr verſatus in Ciuitate libera magiſtratus, atquè honores ad plurimos peruenire neceſſe eſſe, magnoſquè, ac principes viros, cum ſuam tueri dignitatem

minimè poſſint ſine adminiculis,& clientelis, eò plùs pollere, quò ipſorum auctoritas latiùs pateat ad honores diuidendos. Ex quo fit, vt ille plurimùm poſſit, qui ampliſſimos Ciues beneficio plurimùm ſibi deuinxerit. Etenìm vir princeps bonum quaſi quoddam eſt aptum natum communicari, nequè aut honeſtas patitur, aut vtilitas, quominùs pluribus communicetur, ſolemquè luminis fontem, ac diſtributorem imitetur: imò verò nulla re ad Deum propiùs acceditur, quàm collatione beneficiorum. Erat Magno noſtro ſumma auctoritas in Populo Romano, ſummæ opes, quas tùm ſua, tùm Reipublicæ intererat manare latiſſimè; erant ornandi Ciues, & Magiſtratibus extollendi, ne tyrannidem affectare videretur, neu præſidio communis beneuolentiæ ſpoliaretur. Quos verò æquum eſſet amplificare, vt tùm Reſpublica conſultiùs regeretur, tùm ſi quis aduersùs ipſum conari aliquid auderet, per cliẽtelæ magnitudinem

minùs

minùs liceret, ſatis mihi videtur eſſe perſpicuum ad eos potiſſimùm publica munera, imperiaquè pertinère debuiſſe, qui ijſdem potiſſimùm digni viderentur; in eam quippè ſententiam, & Peripateticorum Princeps Ariſtoteles, & pleriq; omnes grauiſsimi viri conueniunt, qui de Republica ſcripſerunt, vt Ciues illi augendi eſſe videantur, qui ob ampliſsimas virtutes maximo vſui, atquè ornamento patriæ futuri ſint, præſertim apud Populum Romanum; cui nouiſsima antiqui generis, atquè imaginum ratio habebatur. Nequè ſecuriorem quempiam eſſe exiſtimauerim, quàm qui ſuam ſalutem, ac fortunas beneficijs munierit, incrementaq; dignitatis viris non modò amicis, ſed in primìs fortibus cõmendauerit. Quæ cum ità ſint, continuò videndum eſt, quibus potiſsimùm præſidijs virorum fortium ea tempeſtate Romana Reſpublica niteretur, quiq; digni eſſent, qui dignitatis à Pompeio huiuſmodi acciperent incrementum.

Ego,

Ego, quantùm è Scriptorum monumentis, hominum memoria, rerum geſtarum fama colligi poteſt, eiuſmodi inuenio paucos. Res ad M. Craſſum, L. Lucullum, M. Tullium, Port. Catonem, Iulium Cæſarem redigebatur; hi viri principes, ſapientes, fortes habebantur. Sed Craſſum innata ſuperbia, atquè immenſæ opes, quæ regias anteibant; Lucullum gloria bello parta pares, aut æmulos, atquè infenſos Pompeio fecerant. Adde huius luxum, illius auaritiam, æquè indecora vitia, atquè ad conflandam inuidiã in primis idonea, cũ illud inſipientis animi, hoc vilis, & degeneris eſſe videatur. M. Tulliũ fouit, auxit, ab exilio Pompeius reuocauit; ſed à militaribus ſtudijs alienus Ciceronis animus, neq; imperijs magnoperè delectatus, niſi quatenùs Reipublicæ commodis expediret, Pompeium admonebat illius conſilio, aliorum armis eſſe vtendum. Catonem vel à Pompeio, vel Pompeium à Catone vehementèr abhorrentes nimia Ca-

tonis

tonis ſeueritas auertebat, & Stoicæ diſciplinæ rigor, quibus à puero imbutus Cato haùd priùs deſtitit recuſare Pompeium Principem, quàm habuerit Cæſarem Regem, qua de re ſatis multa in prima noſtrarum diſputationum parte diſſeruimus. Reliquus eſt Cæſar, Auditores, cuius antequàm vitia in ſuperiore diſputatione recenſerem, quæ Rempublicam perdiderunt, cùm ſenſi multorum magnam me ſubiturum inuidiam, tùm poſtquàm feci, expertus ſum maximam, atquè incredibilem ſubijſſe. Adſint, quæſo, nùnc; redire in gratiam mihi eſt animus; cauſam Cæſaris ago, neq; damnare poſſunt Pompeiani, cum eò res deducta ſit, vt vel ad ipſam dignitatem Pompeij pertineat à me virtutes Cæſaris enumerari, quò illius cõſilium probetur in omnes, qui eiuſmodi hominem ornauerit, ornatumq; ſibi coniunxerit, cui nemo comparandus omninò videbatur.

Cæſar nobilitate generis, ac ſplendore

nata-

natalium Romanorum omnium facilè princeps ab Ænea Troianorum nobiliſsimo, Albaniſquè Regibus perpetua ſerie virorum in Republica principum duxit originem. Prætereo fabuloſa, quibus fama viro aſſentabatur ad Deos referri genus, ad Venerem, & parentem Veneris Iouem. Cæterùm plena domus imaginibus, hiſtoriæ monumentis, quæ auorum laudes, & ſanguinis claritudinem teſtarentur. Sed omittamus aliena: vir magno animo præditus, & gloriæ appetens, nullam è laudibus voluptatem capit, quæ ſuæ non ſint, & virtute comparatæ. Quæ Cæſaris fuerunt propriæ, has dotes inueſtigemus. Illi ingenium viuidum, cognitio rerum intima, eiuſmodiq; vis, atquè ornatus in dicendo, vt hunc, vel ipſe Romanæ eloquẽtię Princeps reformidaret, gauderetq; militari Cæſaris gloria, ne ſibi præriperet oratoriã. Iudicium prætereà acre, atquè ad res gerendas natum. Nàm de vſu, & peritia rei bellicæ quid deficiam diſſe-

diſſerendo? Cum aſperis, & ferociſsimis nationibus intrà curriculum Solis cadentis, & frigidiſsimi poli ſydera conſtitutis diutiſsimè bellum geſsit, nequè cum ſolis hominibus dimicauit, ſed cum regionum, & locorum peruicacia, & feritate, cum natura, cum Cœlo ipſo pugnauit, & vicit. Suprà quinquagies collatis ſignis manum conſeruit, ſuprà octingenta oppida florentiſsima, præter minora municipia Romanæ ditioni adiecit. Æſtus, frigoris, laboris, vigiliæ, inediæ patiens vltrà fidem, ne à gregario quidèm milite differebat. Prudens in conſilijs, celer in expeditionibus, audax in periculis, fortis in rebus aduerſis, moderatus in ſecundis; manſuetudo, clementia, liberalitas ità in eo cumulatæ, & ſummæ, vt earum illecebris, & lenocinio cuncta ferè ſibi ſubiecerit; dignus profectò, qui cum Alexandro comparetur, præferaturquè, nàm quò ille vt plurimùm fortuna, & furore rapi videbatur, hunc conſilio, & prudentia duci perſpectum eſt.

Cle-

Clementiam, Auditores, memoraui, quaſi diſſerens contra me ipſum; ſed liceat. Etenìm ſatìs clemens habetur ille, qui in eos cum poſsit, minimè animaduertit, à quibus ſe, vel iure, vel iniuria violatum putat. Igitùr Cæſar tantus erat; quòd ſi ab eiuſmodi homine ornando Pompeius abhorreat, qui tot titulis inſignis ornamento planè omni dignus ſit, nec in vniuerſa Ciuitate parem habeat, aut profectò parùm ſibi conſtare videatur, aut Reipublicę inuidere, cui vir tantus maximo eſſe vſui, atquè incremento poſsit. Huic ſanè rationi quiqui ſunt, qui aut Pompeio, aut Cæſari faueant, reſpondere nequeunt, nequè nos ferire, quominùs ipſi quoquè iugulentur. Ornauit itaq; Cæſarem iurę Pompeius, quià Cæſar dignus potiſsimùm videbatur, qui huiuſmodi ornamentum caperet; iure coniunxit opes, vt cùm ſuam dignitatem eò certiùs tueri poſſet, tùm quemadmodùm humanum hoc animal nobiliſsimum vnius plantæ miniſterio nequit

quit incedere, ſic duobus hiſce quaſi pedibus tanta Reſpublica niteretur. Ex quo minùs videntur audiendi Florus, & Lucanus, qui idcircò inſenſum Cæſari Pompeium fuiſſe affirmant, quod Cæſarem ſibi eſſe parem Pompeius minimè pateretur; nàm cùr eſſe parem indignaretur, quem penè fecerat ſuperiorem? cumq; ſibi Vrbem, & veteris Italiæ duntaxàt oras, quæ ſupero, atquè infero alluuntur mari, prætèr Hiſpanias longè poſitas, reſeruaſſet, cùr quodcumque terrarum à vetere Italia ad Alpes; ab Alpibus ad Pyrenen, atq; Oceanum ſub polo pertinet, partes validiſſimas, cum fortiſſimis legionibus illi tradiderit? Stare pro nobis videtur Dion Caſſius, qui eos eiuſmodi fuiſſe memorauit, vt nequè poſterior vllo mortalium Pompeius, & omnium primus Cæſar eſſe vellet. Igitùr Pompeius Cæſarem ab æqualitate nòn arcebat; cum ex aduerſo Cæſar ore proprio confeſſus ſit malle ſe in vili oppidulo, quà alpeſtri itinere tranſgrediebatur, princi-

pem locum, quàm Romæ ſecundum. Audio M. Tullium aduerſantem, nequè parùm negotij mihi facesſit auctoritas tāti viri, qui cùm omnem cumulum meritorùm in Cæſare fateatur, tamèn è Republica fuiſſe negat illum à Pompeio amplificari, clamatquè ab eo cauendum vehementèr, cuius tota cogitatio intenta eſſet ad tyrannidem ineundam. Reſpondebo nihilominùs confidentèr, vel nòn fuiſſe Pompeio exiſtimandum, in quo viro tantæ virtutes elucerent, eundem beneficiorum memoriam ex animo poſſe depellere, cum nullum extet praui animi argumentum certius, quam inimicam referre gratiam; ſatis enim nauitèr occulere ſua vitia nouerat Cæſar; vel ſi prauitatē æmuli comperiſſet, eundem difficultatibus deterritum, & maieſtatem Romanæ Vrbis perhorreſcentem conſilijs, exemploq; reducere ad ſanitatem ſperare poterat, auctoritateuè, aut vi deponere, quem extulerat. Deceptus eſt Pompeius, fateor; peccauit, nego.

nego. Quod ſi decipi peccatum eſt, at memento M. Tulli, quid acciderit Ciceroni, ità Pompeium ea tempeſtate decepit Cæſar, quemadmodùm Ciceronem deindè feſellit Octauius, quod eò turpiùs Ciceroni fuit, quàm Pompeio, quòd Cicero propoſito ob oculos recèns exemplo, cautior eſſe debuit, ac vir multa ætate, & longo rerum vſu, atquè experientia exercitus, grauiſsimiſquè muneribus perfunctus à puero deceptus eſt.

Poſtquàm ſatis congruentèr, vt opinor, à nobis probatum eſt, cum Ciues eſſent pleriq; à Pompeio ad honores euehendi, qui digni viderentur, Cæſarem, quo dignior nemo, haudquaquàm fuiſſe prætereundum; ſupereſt pars altera huiuſce quæſtionis confirmãda, quòd nimirùm Pompeius nullo modo ſecùs facere potuerit: etenìm tanta fuit ergà Cæſarem populi gratia, tanto ſtudio plebs flagrabat illecebris, & corruptelis delinita, vt quos Pompeius Cæſari honores denegaſſet, eoſdem

contra Pompeij dignitatem populi ſuffragio, & vi Cæſar fuiſſet adepturus; tantumq́; aberat ex eo perniciem Pompeio metuendam, vt illo potiùs præſidio Imperatori ſapientiſsimo vtendum foret ad confirmandam ſibi multitudinis beneuolentiam, & potentiam amplificandam, neque ſuos tueri poſſet, ſi Cæſaris Magiſtratibus intercederet. Satis quippè apertè patuit in coniuratione Catilinæ, quo loco eſſet apud plebem Cæſaris ſalus; tradūt enim grauiſsimi Scriptores, quo tempore animaduertebatur in coniuratos, & ſuſpicio haud mediocris Cæſarem amplectebatur, frequentem multitudinem ad ianuam Senatus accurriſſe, ac reddi ſibi Cæſarem flagrantiſsimè, nec ſine minis poſtulaſſe; qua nouitate in primis permotum Ciceronem Conſulem cautè prouidiſſe, ne quid grauius in Cæſarem fieret, ne nouum in Republica malum oriretur, dùm ortum euellebat. Quo magis Pompeio cauendum fuit, ne cum Cæſaris

di-

dignitati reſiſteret, ſuam potiùs euerteret amplitudinem, populumquè, cui innitebantur ſummæ opes Reipublicæ, à ſe faceret alienum. Satìs etiàm ſpectatus eſt amor popularis ergà Cæſarem in obitu Iuliæ, quam cum ad Albam Pompeius humare deſtinaſſet, plebs violēta in Campum Martium ad ſepulchra Iuliorum funus extulit, virumq; præſentem patri abſenti poſthabere nòn dubitauit. Nàm quid de eiuſmodi affinitate, ac matrimonio cōmemorabo? eratnè fæmina virtute, & natalibus princeps à viro clariſsimo contemnenda? contemnenda verò (reſpondebunt) Reipublicæ cauſa. At quæſo eos, ſi alteri filiam Cæſar collocaſſet, qui plurimùm poſſet, nec de Republica benè ſentiret, coniunctiſq; opibus res nouas moliri voluiſſent, quo loco Pompeij dignitas, & Reipublicæ ſalus fuiſſet? quæ probra, & contumeliæ in hominem imperitum coniectæ forent? quæ patrum lamentationes, & querelæ tonuiſſent appellan-

tium patriæ proditorem, exprobrantiumquè, ſi Cæſarem ſibi eiuſmodi neceſsitudine coniunxiſſet, nunquàm in periculum Rempublicam venire potuiſſe? Latiſsimè patet id peccati genus, Auditores, quo res ab euentu metimur, cum à conſilio tamèn nemo nòn videat eſſe cēſendas; conſilia quippè noſtra ſunt, euentus à diuino iudicio pendent, quod mortalium conſilia diſsipat. Quis immaturam Iuliæ mortem diuinare potuiſſet? quis ex partu, quo extincta eſt, monſtrum, quod Rempublicam perditū iuit, in lucem editum iri præuidiſſet? niſi in mētem veniat, cū moriens inſtar viperæ peperiſſet, nihil niſi veneno imbutum, atquè exitiabile naſci potuiſſe. Quod itaq; Pompeij fuit, illud optimum fateri neceſſe eſt, quod alienum, de eo neutiquàm videtur eſſe coarguendus.

Addunt multa à Pompeio facta contra fas Cæſaris gratia, nequè ab eo legum habitam rationem eſſe. Animaduertite, ſi placet, Auditores, cuiuſmodi flagitium

Pom-

Pompeio obijciant, ſi enim à Pompeio leges violatæ ſunt, audacia, impotentiaq́; Cæſaris eorum confeſsione violatæ ſunt, eò leuiore Pompeij culpa, quò minùs peccat ille, qui alterum auctorem habet, trahiturq́; ad peccandum vèl inuitus. At detur hoc honori Cęſaris, vt rem optimè exploratam diſſimulare videamur, inueſtigemuſquè, cuiuſmodi fuerint leges, quas Pompeius violare potuerit, ſi tamèn violauit vnquàm. Duplex genus legum Romæ fuit, alterum earum, quæ ad duodecim tabulas pertinebant, quæuè ad æternitatē ſtatuebantur, illarum alterū, quæ in dies pro re nata promulgabantur. In prioribus ne aduerſarij quidèm inueniant peccaſſe Pompeiū, poſteriores verò quis ignorat vt plurimùm fuiſſe eiuſmodi, quæ manè promulgarentur, veſpere abrogarētur? quæ non calamo, ſed enſe ſcriberentur? quæ non à prudentia, ſed à libidine, & violentia ſæpenumerò proficiſcerentur? Demus tamèn aliquam legem fuiſſe opti-

mam, & ſapientèr conſtitutam; at nouis caſibus coortis in rem fortaſsè nòn fuiſſet eiuſmodi lege vti; conſequimur enìm experimento ſæpiùs, quod heri fuerit opportuniſsimum, idem hodiè contingere incommodiſsimum, nequè teſtimonia deeſſent grauiſsimorum hominum, niſi rationibus mihi agendum, & forenſibus patronis eiuſmodi vocabulorum claſſes relinquendas cenſerem, ſolus quippè Deus dignus eſt, cui ſinè ratione fides habeatur. Violatas verò à Pompeio leges mehercùlè non cõcedo; duo namq; flagitia affert Plutarchus, quæ me neutiquàm conuincunt, ex quo fit, vt crimine ab vno diſcam omnia, atquè ab exemplis hiſce argumentum in alia pateat. Ait Plutarchus, cum Conſulatus à Pompeio, & Craſſo ſimùl ambiretur, nequè id bonis, & Catoni præ cæteris probaretur ob periculum, quod à magnis viribus, ſi coniungantur, perpetuò imminet, L. Domitium ad eandem petitionem dirimendæ cauſa ſocietatis ra-

ptum

ptum eſſe, ſeruos facem præferentes, cum in campum antè diem progrederetur, à Pompeij ſatellitibus partim interfectos, partim cæſos, quo ſcelere à petitione Domitius deterritus ſuæ ſaluti fuga conſuluit. Eſto, Pompeij ſatellites eiuſmodi facinus perpetrauerint, neceſſarionè tamèn ſequitur, quod à clientibus geritur, illud à patrono præceptum eſſe? àn legem vltimam nòn habemus in Codice de pœnis ſedulò cauentem, ne turpitudo, pœnaquè criminis pretèr auctorem ſit? quæquè propinquos, notos, familiares procùl ſubmouet à calumnia? quod ſi familiares à ſuſpicione ſubmouentur, quò magìs domini, qui familiaribus, & ſeruis meliores oppidò habendi ſunt? Probet Plutarchus, ſeu quis alius Pompeij iuſſa, inducat teſtes, rapiat ad quęſtionem reos, fateri cogat, quicquid indicij repertum fuerit, do manus, Pompeius condemnetur. At profectò nihil certi eſt, obmuteſcunt, erubeſcunt; nequè enim multa nõ poſſunt agere ſatellites, & plerũq;
agunt,

agunt, quorum culpa penès illos ſit, inuidia, & turpido in dominum recidat; imò, & inuito domino complura illos facere contingit ſola opinione ductos ei ſe rem gratam eſſe facturos. Sic Rechabus, & Baana impij fratres Isboſethum Saulis Regis filium interfecerũt Dauidi iucundum id fore exiſtimantes, quæ tamèn illos longè fefellit opinio, tanti enim ſceleris iuſto Principi continuò pœnas dederunt. Quin Craſſo potiùs viro noxio, ſi iubentẽ quærimus, tantam audaciam acceptam referamus? quippè qui immenſam aleret familiam, & multa ſeruorum, ac libertorum millia ſub domeſtico imperio haberet; ſeu qui etiàm deceptis Pompeij ſeruis vti potuerit, & alieno nomine flagitium moliri. Cum prætereà familiarẽ ſuum Pompeius (quod alterum ipſius piaculum eiuſdem auctoris literis traditur) ad Conſulatum euehi cuperet, largitione fertur contendiſſe, atq; in hortis Pompeianis numeratam fuiſſe pecuniá, quæ per tribus diſtribue-

buereтur. Egregiè quidèm, quaſi ampliſſimis in hortis, qui omnibus patebant, pecunia numerari nòn potuerit, quæ neq; ad dominum pertineret, nequè eidẽ innoteſceret. Quod ſi ferendum eſt liberè, quid ſentiã, cum Catonem domeſticas mulieres conquerentes ampliſſimo ſe Pompeij matrimonio fuiſſe defraudatas huiuſmodi crimine ſolatum fuiſſe Plutarchus referat, haùd procùl abſum, vt illud exiſtimem ipſius Catonis cõmentum fuiſſe. Tametsì in tanta corruptione Ciuitatis haùd facilè affirmauerim, illud eſſe criminis nomine notandum; quo cuncti polluebantur; quis enim ambitum, largitiones, epulas interceſſores nòn prætendebat? quis arbitria nòn emebat? nullus priſco mori locus, nihil vtilitate publica, ſèd priuatis commodis conſtabat, & tantumdèm quiſquè è populo ſuffragij, & gratiæ ex ore vomere conſueuerat, quantùm ſe pecunia, aut epulis ingurgitauerat. Plura de corruptelis popularium Rerumpublicarũ, Auditores,

in

in medium afferre poſſem, ſed huius loci non ea diſputatio videtur eſſe. Quocircà vel ipſorum accuſatorum ſuffragio laudãdus videtur Pompeius noſter, qui ſapientèr, quibus artibus ad euerſionem patriæ cæteri vtebantur, eaſdem ad ſalutem adhibuiſſet, vt perditos homines ab honoribus intercluderet, ac miro artificio feciſſet contrà leges, vt leges tueretur; nòn ſecùs, ac cum ægrotis fieri ſolet, in quibus leuiorem plerumq́; morbum Medici excitant, vt grauior opprimatur. Cæterùm ſi quid peccauit ignoſcendo (nàm & hoc ipſi vitio vertunt) præclarum mediùs fidiùs peccandi genus, cum è ſola humanitate, ac manſuetudine peccatur.

Agitata hæc eſt à nobis quæſtio fortaſsè nimiùm; ſi modò nimia in tanta cõtentione oratio eſſe poteſt. Nùnc in veſtibulo ſumus belli Ciuilis, excitare animos oportet, Auditores, nobis enimità deincèps in conſilijs, & Senatu verſandum eſt, vt de armis cogitemus. Ad ſecundam per-

peruenimus obiectationem, quæ duabus partibus continetur; altera eſt, bellum importunum, atquè in primis periculoſum, haùd neceſſariò, & ſine apparatu à Pompeio ſuſceptum fuiſſe: altera cum ex eo maximè, quòd eſſet imparatus, bellum foret amouendum, illum tamèn penitùs à pacis conditionibus àbhorruiſſe. Iuſta verò reprehenſio, ſi modò veris fundamentis innitatur; nequè mirùm, cùr tàm imprudentèr factum tot incommoda ſint conſecuta. Quod ad primam partem attinet, quæſtio ad bina hæc capita reuocatur; alterum, àn bellum huiuſmodi fuerit haùd neceſſariò ſuſceptum; alterum, àn Pompeius ad illud ſe contulerit imparatus. De belli neceſſitate differenti priuata Pompeij cauſa aduerſùs Cæſarem prima occurrit; M. enim Tullius inter cæteros acerrimè inuehitur contrà Pompeium, quippè cui vel nunquàm ineundam fuiſſe aſſerit cum Cæſare neceſſitudinem, vel nunquàm oppidò

dò diſſoluendam; nàm mutari quidèm hominum voluntates, nòn mutatione poſitionis aſtrorum, vt Chaldæi inſaniunt, & Genethliaci, ſed ab euentu rerum, ab iniurijs, à maleficijs; quæ quoniàm naturæ aduerſantur, idcircò illum, qui ea infert, mortales profectò amare nòn poſſunt, etsì anteà flagrantiſſimè dilexiſſent. At ratione viri ſapientes quid optimum factu ſit, metiri debent, dolorem premere, & prò tempore diſſimulare. Igitùr incautè, atquè imprudentèr, nequè ſine æmulatione, atquè inuidia, Cæſaris gloriæ Pompeius ſocietatem cum ſocero diremit, & materiam potiùs propria cauſa videtur quæſiſſe Ciuili bello; quàm contentionem Reipublicæ commodo ſuſcepiſſe. Sed percunctari liceat, quæ gloriæ æmulatio eſſe Pompeio cum Cæſare potuit, quem ſua ipſe auctoritate, atquè opibus amplificauerat? quæquè inuidia rerum geſtarum, cum Pompeianæ virtutis clariſſima monumenta vbiq; terrarum

rarum latè paterent? nòn Europa expers, nòn Africa inanis, nòn Aſia vacua, nullum mare non domitum, nulla tellus nòn preſſa, ſublati vbiquè hoſtes; atquè vt cum eodem Tullio loquamur, eius res geſtæ, atquè virtutes ijſdem, quibus Solis curſus, regionibus, ac terminis continebantur. Cæſarianæ verò victoriæ vnius Galliæ finibus concluderentur? Quocircà cum diſſoluit neceſſitudinem, quis affirmare valeat ſua, nòn Reipublicæ cauſa diſſoluiſſe? cùm nimirùm animaduertit Cæſarem ſuis limitibus nequaquàm contentum libertati publicè lethalitèr imminere, cuius ſempèr ipſe aſſertor, & vindex fuerat, nequè bonus Ciuis eſſe poſſet, niſi à pernicioſo alienus fieret? Duæ verò res neceſſitatem ſuſcipiendi tunc temporis belli feciſſe videntur ineuitabilem, altera communis, & publica, Cæſaris ſcilicèt, Cæſarianorumquè contumacia, impetus, furor; altera, quæ Pompeium ipſum petebat, Senatus nimirùm, & Conſulum iuſſa. Quod

ad

ad priorem pertinet, nonnulla altiùs repetere neceſſe eſt. Cæſar primum cum Bibulo ità geſſerat Conſulatum, vt illi eſſet vehementèr metuendum, ne cum ipſo legibus ageretur, ſi priuatus foret; idq́; Cato minabatur, cuncta enim humana, & diuina iura peruerterat, Collegam domi concluſerat, vi egerat, & tyrannidis ſpeciem ſub oculos dederat. Plura itèm alios eius Magiſtratus, plura Gallicum imperium damnabant. Quocircà Aſinius Pollio, cum in acie Pharſalica nobiliſſimi Ciues extincti iacerent, exclamaſſe Cæſarem inquit, & quidèm ſe audiente. Ità voluerunt. Tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab armis auxilium petijſſem. Prætereà cum magna, immenſa, vaſta populo recepiſſet, ingentemq́; largitionum, & munerum expectationem concitaſſet, nequè priuatis opibus ſatisfacere ſe poſſe intelligeret, vnum ſibi eſſe ſubſidium cenſuit in bello Ciuili. Itaquè omnia ſibi turbanda, miſcendaquè

exi-

exiſtimauit, & penſitato rerum ſtatu commodam ea tempeſtate illius ineundæ dominationis occaſionem arripere ſtatuit, quam à prima ætate flagrantiſsimè concupierat, proùt verſus Euripidis teſtes ſunt, quos ille vt anteacta actione memorauimus, in ore ſempèr habuerat. *Si violandum eſt ius, regnandi cauſa maximè violandum eſt.* Nota loquimur, & quæ apud M. Tullium, Suetonium, & plures Hiſtoricos diſertè deſcripta ſunt. Quæ cum ità forent, & edictum Populi Romani contempſit Cæſar, quo, vt in ponte Rubiconis legebatur, ità cautum fuerat. *Imper. Tribun. Miles, Tiro, Commilito, armate, quiſquis es, Manipularie, Centurio, Turmarie, Legionarie, hìc ſiſtito, vexillum ſinito, arma deponito, nec citrà hunc amnem Rubiconem ſigna, arma, exercitum, commeatumuè traducito. Si quis huius iuſſionis aduerſùs præcepta ierit, fecerituè, adiudicatus eſto hoſtis Pop. Rom. ac ſi contrà Patriam arma tulerit, penatesq́; è ſacris penetralibus aſportauerit.*

Et legationes de pace eluſit, & quæſito titulo tentamenta omnia concordię fruſtrauit, nec priùs abeſſe ab exercitu, & prouinciarum imperio conſenſit, quàm occupato Conſulatu, & priuati fortunam egreſſus, ſe vndiquè ſartum, tectumquè præbuiſſet. Quæ res cum aduersùs leges, Senatum, Conſules eſſet, hæc, quæſo, non eſt neceſsitas? ſi quis vobis vim afferre velit, veſtrum tueri caput haùd operam dabitis toto conatu? Ad naturam hìc appello, quæ vel brutis animantibus hunc ſenſum infundit, vnà cum vita. Caput, vitamquè Reipublicæ petebat Cæſar, viriſnè principibus in tanto periculo dormiendum? Refellunt huiuſmodi argumẽtum aduerſarij, aut refellere contendunt, negant enim Cæſarem dominationem ſibi arripere voluiſſe, negant aliud, quàm æqua poſtulaſſe, negant vi quicquam fuiſſe conaturum, niſi inimicorum, qui prouincias, & exercitus eripiebant tanto viro, & de Republica præclarè meritò,

acer-

acerbiſsimis iniurijs coactus fuiſſet: quo verò id probēt egregium ſcilicèt afferunt ipſius Cæſaris teſtimonium ex monumē-tis de bello Ciuili; nequè illud nòn erat reliquum, vt cauſam flagitio iniurias prætexerent. At interpretarentur mihi velim, quid ſibi voluerint illa Cæſaris verba ex Appiano potiſsimùm, qui renuntianti militi Marcellum Conſulem ab ipſius poſtulatis alieniſsima reſpondiſſe, admota ad capulum manu impudentèr minatus eſt. Hic autèm impetrabit. Hoc verò æquum eſt, ò Cæſariani? aduersùs Conſulem, & leges niti? inficiarinè integrum vobis eſt id Cæſarem animo voluiſſe, quod & dixit, & opere perpetrauit? Sed demus libenti animo quod optatis, at poſtquàm Cæſar vltus eſt, cùr Rempublicam nòn reſtituit? periculoſum aietis; at Sullæ, qui crudeliùs ſe geſſerat, depoſitio Dictaturæ periculoſa neutiquàm fuerat. Igitùr rem iniquam Cæſar veſter aggrediebatur, cuiuſquè iampridèm ſuſpectus fuerat:

Igitùr coërcendus, reprimendus.

Ad Cæſaris animum vehementèr accedit duorum Tribunorum plebis furor Curionis, & Antonij, quorũ ille impurus, væcors, paternis dilapidatis bonis inops, atquè vt Paterculi verbis vtamur, ſuæ, alienæq́; tùm fortunæ, tùm pudicitiæ prodigus, homo ingenioſiſſimè nequam, & facundus malo publico, cuius animo, nequè opes vllæ, nequè cupiditates ſufficere poterant, omnes conditiones pacis diſcuſſit, ac rupit, atquè vt ſuis vulneribus mederetur, Rempublicam venalem habuit, atquè à Cæſare immenſo ſuprà ſexcenties ſextertium ære alieno liberatus, calamitatè publica referre gratiam pactus fuit. Hic turpi, & veteri cum Curione conſuetudine colligatus, vt cauſa Curioni eorum, quę debebat, ſic mercatus auctor, & ſtimulus à dominatu creditorum nullam viam inuenit eximendi ſui, niſi ſe vnà cum patria in turpius ſeruitium venderet. Homo audax, & planè natus ad perniciem Reipublicæ,

blicæ, nundinas enim illas Romanæ libertatis, qui auderet primus exponere, inuentus eſt nemo, præter Antonium; emit Cæſar, quod emendum fecit Antonius; neque vllo vnquàm tempore in Romana Republica tyrannis, niſi eiuſmodi ingenio viri & peſſimis artibus coaleſcere potuiſſe videbatur, nàm quæ Cæſare interfecto deleta fuerat, hoc cultore ſuperſtite repullulauit, atquè ex hac ſcintilla Cæſaris flammæ nouum, & perpetuum flagrauit incendium. In quem hominem quàm multa, Deus bone, quàm præclara in glorioſiſsimis illis Philippicis Cicero perorauit; plura quidèm nefas me dicere, vbi tanti viri admirabilis excurrit oratio. Vnum addere tamèn liceat. Nulla re laudabilior Octauius in vita fuit, quàm quod tantum deleuit flagitium. Tùm omnem exuiſſe tyrannidem viſus eſt, cum ſocium, auctoremquè tyrannidis interfecit. Huiuſmodi faces Ciuile bellum vt plurimùm excitarunt, neceſsitatemquè armis præci-

pitibus induxerunt: iniuriæ ſimulatæ, inſtituta ex artificio fuga, ſquallor ipſius oris, & veſtium affectatus, vile vehiculum quæſitum, omnia ad acuendam Cæſaris iram miſeratione violati tribunatus accommodata eiuſdem conſilium ad celeritatem præcipitem rapuerunt. Neceſſarium ergò bellum, quià ignes flagrantiſsimè ſuggerebantur, neceſſarium, quià Cæſar imminebat. Quæ neceſsitas eam propè deſperationem rebus induxit, vt ad extremum illud Senatuſconſultum ventum fuerit, quod in formidabilioribus periculis vſurpabatur. *Operam darent Conſules, Prætores, Tribuni plebis, Conſulares ne quid Reſpublica detrimenti caperet.* Conſul Marcellus (quæ altera neceſſitatis Pompeio cauſa fuerat) vehemens, arrogans, violentus, qui dominationem exercere, quàm tolerare maluiſſet, importuna ferocitate percitus Pompeium arma raptim capere iuſsit, vel inuitum. Maieſtas, ſaluſquè imperij, auctoritas, & frequen-

quentia Senatus, propria dignitas cogebat; imò verò aduerſari capitale, nequè meliore loco, quàm quo Cæſar, prò hoſte Pompeius quoquè habitus foret, ſi Reipublicæ tàm difficili tempore defuiſſet. Ex quo ſatìs liquidò patere poteſt, quantùm abſit à verò Cæſaris illa vox, qua orationem Conſulum ex ore Pompeij miſſam fuiſſe dictitauit.

Alterum erat ſubdiuiſionis mēbrum, bellum ſuſcepiſſe Magnum noſtrum adeò imparatum, vt vel Phauonius, illa ſimia Catonis, exprobraret, amaraq́; deriſione, aduolante Cæſare, iuberet humum pede pulſare Pompeium, copiaſquè, quas erat pollicitus, ex Italici ſoli viſceribus euocare. Duo videntur hoc loco cadere in controuerſiam, alterum, haberetnè Pompeius præſidia, & exercitus ſatis firmos, qui torrētis Cæſariani ruentem impetum ſuſtinerent; alterum, àn in promptu forent. Magnos, & formidabiles habuiſſe Cn. Pompeium apparatus, qui vel duos

Cæſares profligaſſent, omnes paginæ teſtantur, & docent, ſeptem ſub Afranio, Petreio, & Varrone legiones victoriarum, ac triumphorum ſocias, quibus Syllana bella confecerat, Piratas deleuerat, Tigranem ad deditionem, Mitridatem ad venenũ compulerat; mare Hyrcanum, Arabicum rubrum cedere iuſſerat; in Lybia ad exteriorẽ Oceanum Herculis æmulus penetrauerat; in Hiſpania ad Athlanticum pelagus Romani fines imperij longè protenderat; Auſtralem plagam, Septentrionalem, Solis abeuntis, redeuntis equos perterrefecerat. Duas ſub ſe ipſo, præter vrbana præſidia, quæquè ſparſa per Italiam eiuſdem Sacramento tenebantur, necnòn delectus, qui aſſiduè paſsìm habebantur. Addo claſſes, atquè oræ maritimæ firmamenta. Magnos, inquam, apparatus: at eſſentnè ad manum, id nòn poſſumus affirmare; nàm quod fuit robur maximum, & potiſſimi ad victoriæ fiduciam momẽti, illud procùl aberat in Hiſpania; cætera

ra diuiſa, vrbana ſuſpecta, inchoata repentè nòn firma. Sed Curionis, & Antonij audacia, atquè impotentia, Marcelli aſperitate, ac ſuperbia, Cæſaris temeritate, atquè impetu, quem æquare Hiſpanici exercitus nòn poterant, niſi pennis vterentur, effectum eſt, vt ſapientiſſimus Imperator in eam neceſſitatem nòn inſcius inijceretur. Hoc enìm ſatìs firmum argumentum videtur eſſe Pompeium ſua voluntate bellum Ciuile nòn ſuſcepiſſe, abſentia legionum, quas ſanè priùs accedere iuſſiſſet, ſi ſpontè, ac citrà neceſsitatem armis ciuilibus inhæſiſſet. Imparatus itaquè concedo, ſua culpa, nego. Quod ſi aduerſo rumore fuit, ſi intemperanti canis illius Cynici licentia, & iurgio appetitus, cuius nòn erat æſtimare belli conſilia, nullum ſanè dedecus oritur, vbi interceſſerit nullum flagitium; imò videtur mihi magnoperè laudandus, quòd tantis intercluſus difficultatibus, ſedulò tamèn operã dederit, ne ipſe, neu Senatus à Cæſare interciperetur.

Re-

Reliqua eſt altera pars ſecundæ huius dubitationis diluenda, quæ nimirùm in agitatione pacis tota verſatur; cum enìm præſidia præſtò nòn adeſſent, clamant obtrectatores omnia Pompeio fuiſſe facienda, vt compoſitione bellum amoueretur, tum præſertìm, cum à Cæſare laceſsitus in conſultationem concordiæ, nòn ſine dignitate deſcendebat. At quis hoc inquit, niſi Cæſar ipſe, cui fidem habere nòn eſt neceſſe? Auctorem requiramus, qui hoſtili animo nòn ſit: exploremuſq; monumenta M. Tullij, quem quidem è Cilicia reuertentem vſuuenit eiuſmodi negotio intimam manum admouiſſe. Is profectò in XVI. ſeptimi libri ad Atticum epiſtola reliquit hæc verba. *Scire iàm te oportet, L. Cæſar, quæ reſponſa referat à Pompeio, quas ab eodem ad Cæſarem ferat literas, ſcriptæ enìm, & datæ ità ſunt, vt proponerentur in publico.* Et paulò inferiùs. *Perſpici tamen ex literis Pompeij poteſt nihil Cæſari negari, omniaquè & cumulatè,*

*latè, quæ poſtulet, dari, quæ ille amentiſſimus fuerit, niſi acceperit, præſertim cum impudentiſſimè poſtulauerit.* Ad huiuſmodi auctoritatem, ad teſtimonium literarum publicarum Pompeij noſtri, quid referant aduerſarij? nihil ſanè poterunt; ſed cum Cæſari qualiſcumquè occaſio inuadendæ Reipublicæ, quod iampridèm deſtinauerat, ſatìs fuerit, in ſe purgando, & quærendis cauſæ ornatibus totus incubuit. Verùmenimuerò quomodò memoria me deſtituit? Nonnè ipſe ſcribit Cæſar Pompeium ad ſe miſiſſe Cn. Magium de pace? cùr quæramus in eo teſtes, quod reus fatetur? Quæ quanquàm Sole clariùs ità ſe habeant, ex liberalitate tamèn noſtra concedamus à Pompeio nòn auditos Cæſaris legatos de ciuili diſſenſione componenda; at cuius, quæſo, criminis Pompeius inſimulandus? ità Cæſar erat inſtitutus, vt omnia ipſius facta, dicta, cogitata ſuſpecta eſſe Pompeio deberent. Prætereà (rationibus vtamur) poteratnè Pompeius,

peius, penès quem ius Reipublicæ nòn erat, ſed tantùm belli adminiſtratio, audire Cæſarem de pace ſine Magiſtratibus? ſine Senatu? Planè nòn poterat, hæc eſt nòn modò lex, ſed baſis quædam legum, nihil conſtare ab eo factum, qui auctoritate faciendi careat. Imputetur itaquè nòn Pompeio, ſed Magiſtratibus, & Senatui huiuſmòdi culpa, qua tamèn videamus, àn eos quoquè ſoluere valeamus. Decebatnè Magiſtratus, & Senatum à perduelle conditiones pacis accipere? niſi volumus inſanire, profectò nòn decebat: filius parentem violet, loco expellat, tùm fœdera, pactiones, præmia poſtulare audeat? nòn ferendum; qua turpitudinis, & infamiæ nota inuſti forent, ſi pulſi viderentur, cum viribus pollerent tùm ad reſiſtendum, tùm ad vincendum? Pompeiuſq; rerum geſtarum fama clariſsimus, & ſummo legitimoq; imperio præfectus precariam animam exulis beneficio duceret? quis honeſtam cladem vili concordiæ nòn antepo-
nat?

nat? Vidit Cæſar homo callidus, nequè alterius diſcipulus, quàm ſui, vim huiuſmodi argumenti, atquè occupata Roma, nomen ampliſsimi Magiſtratus ſtatìm arripuit, vt penès illum Reipublicæ ius eſſe videretur, ac iuſto titulo ornaret iniuriam, tantiq; momenti fuit Cæſaris rebus contrà Rempublicam facienti, Rempublicam obtentui habere, vt qui libertatem tuebantur, perduelles, ipſe, qui premebat, propugnator iuſtiſſimus haberetur. Hùc etiàm illud ſpectat, de quo Cæſar tantoperè queritur, quod Romæ ſubſiſtentes Cæſarianarum partium habendos Pompeius renuntiauerit; nòn video tamèn, cui fecerit Pompeius iniuriam. Inter bonum, malumquè nihil medium ex Philoſophis intercedit, qui nòn ſit bonus, eundem fateri malum continuò neceſſe eſt. Ipſa etiàm diuina Veritas promulgauit. *Quì nòn eſt mecum, contrà me eſt*. Nequè abſurdè adductum, patria enim, Reſpublica, Principes imaginem, & ſimilitudinem

dinem referunt quandam ſempiternæ dominationis, & Numinis, vſurpauitquè pater Romanæ eloquentiæ ſæpiùs eodem ſe habere loco patriam, & Rempublicam, quo Deorum immortaliũ amplitudinem, & maieſtatem. At quam pœnã Pompeius, manentibus minatus eſt? nòn inuenio: fecit quidèm ad explorandos Ciuium animos, & quò plerique metu cogerentur. Cæterùm obſcurum nòn eſt eum edicto deindè cauiſſe, ne Cæſarianus quiſpiam extrà aciem ferro violaretur. Quòd ſi de hominibus ipſius latus teli cuſpide petentibus eiuſmodi legem tulit, quid de ijs ſtatuiſſe iudicabimus, qui nemini adhæſerant? Ille quidèm, ſi auctoribus aſſentimur nòn contemnendis, vſqueadeò clementia prædìtus fuit, vt collatis ſignis, cum Cæſar ſuos milites iuberet in faciem tela dirigere, ſuos ipſe miſericordia ductus per aciem diſcurrens, parcere Ciuibus imperaret, niſi quoàd vincendi neceſsitas poſtularet; tametſi huiuſmodi vocem Pom-

peio

peio dignam vulgaris adulatio ad Cæſarem tranſtulit. Vel ſiquidèm vera fuit, ſerò, atquè ad oſtentationem fuit, vt Florus eſt auctor. Si Cæſar contrà vocem Pompeij primam quoſcumquè clementiſsimè amplexus eſt, illi profectò neceſſe fuit, cum iuſtitia abeſſet à cauſa, ſuis partibus honeſtatem quærere huiuſmodi magìs artibus, quàm virtute. Nòn eſt igitur cùr Dictator tantam Imperatori noſtro paret inuidiam ex ea ipſius pronuntiatione abeuntis Roma, quæ nemini nocuiſſet. Hæreat potiùs in Edicto iàm à me commemorato, quò Cæſarianis ipſis extrà aciem præſcripſit impunitatem. Quod quemadmodùm eidem incredibilem ea tempeſtate conciliauit beneuolentiam, ſic meam hòc loco velim orationem, Auditores, tantùm ponderis habere, vt vos quoq; admirabiles Pompeij Magni virtutes diligeretis, & corruptis obtrectatoribus aures obſtrueretis, nàm cum ab eo vidiſtis duas acerrimas calumnias propulſatas, tũ

breui

breui ſore confido, vt à reliquis quoquè vir fortiſſimus vindicetur. Nobis autèm cum militiæ labores deincèps ſuſcepturi ſimus, vires pauliſpèr videntur recreandæ, quò ad reliquas partes abſoluendas firmiores accedamus.

---

Actioni Epigrammata ſucceſſere, aç primò Socrates.

*QVam partem cauſæ niti cognoſcis honeſtæ,*
*Acriter hanc forti, quiſquè, tuere manu.*
*Si cadis, egregius certè cadis, ipſaquè vitam,*
*Quàm fors eripuit, dat tibi Iuſtitia.*

De C. Iulio Cæſare. Philo.

*SCilicèt hoc deerat victoris Cæſaris armis,*
*Vt patriæ adſciret tot ſibi regna ſuæ,*
*Et Romam, totum quæ inuicta ſubegerat orbem,*
*Impoſito premeret fortior ipſe iugo.*
*Viſa quidèm impietas eſt mortem inferre parenti;*
*Sed vitam reperit funere Roma ſuo.*

*Her-*

*Herculeas poſuit victoribus iſte Columnas,*
*Plus vltrà, ac Cæſar, vincere nemo poteſt.*

## In Marcum Craſſum. Nicocles.

*CVm tria conſtituāt Fortunæ munera regnū,*
*Ac terno auratum ſtet diadema bono,*
*Vim petit illius Cæſar, Pompeius honorem,*
*Aurum tu loculis condere, Craſſe, paras:*
*Sic vna eſt diuiſa tribus Reſpublica Romæ,*
*Vno & prò domino ſuſtinet ora trium.*
*Sed laudem optare egregiū eſt, Magnoq; decorū,*
*Parcimus & Caio, ſi dare iura cupit.*
*Sola tui eſt adeò, ſcelerate, infamia facti,*
*Nil, quod non oleat, vilis auarus habet.*
*At tibi Parthorum præſtabunt omnia gazæ,*
*Vno permutes ſi capite illa tuo.*

## In M. Antonium. Damaſippus.

*ANtoni, fax ciuilis ſcelerate duelli,*
*Quid furis in patriæ nomina ſumma tuæ?*
*Iam tibi Pompeius Phario iacet æquore truncus;*
*Iam mutum in roſtris os Ciceronis habes.*

*At manes metue; hic nequè te conſiſtere Romæ,*
*Nec dat Niliacis ille manere focis.*
*Infelix, aptaſti alijs quæ regna parabas,*
*Auctorem ſpoliat quàm benè culpa ſuum.*

## De Cleopatra. Archias.

*BRachia cũ ſæuo Cleopatra offenderet angue,*
*Inq́ necem præceps iam graderetur, ait.*
*Cerne fidem, coniux; fugi, ne cæde perires;*
*Si timui cladem, non timui propriam.*

## In Curionem. Lyſias.

*TV quoquè ſubſidium, ſtimuluſq́ tyrannidis emptus,*
*Curio, degeneras dotibus ipſe tuis.*
*Scilicèt expleri luxus ſcelerata cupido,*
*Ni patriam vendis, peſſime, non potuit.*
*Africa te expectat pretium fatale vomentem,*
*Vſtus in ardenti ritè iacebis humo.*
*Has Magno inferias Veneris præmittit adulter;*
*Non tibi fas ritu nobiliore mori.*

In

## In Marcellum Conſulem. Gorgias.

*IVlia ne irrites, Marcelle, inſignia Conſul,*
*Seruitia, & clades ciuibus illa ferunt.*
*Iura nihil curant, niſi quà diademata nectunt,*
*Illaq́; telorum cuſpide ſcripta legis.*
*Derides? at perge, impar nunc viribus hoſtis*
*Præueniet vires mobilitate tuas.*
*Olìm Marcellis depellere fas fuit hoſtes,*
*Nùnc fati arbitrium Cæſaris arma gerunt.*

## In Lentulum Conſulem. Demaratus.

*TV quoq; nùnc acuis ciuilia, Lentule, bella,*
*Conſulquè ritè conſulis*
*Haud quaquàm Patriæ, quanuis te multa videre,*
*Et multa poſſe cogites.*
*At Pharus expectat te, genſquè infida Canopi,*
*Et fata Magni comparem.*
*Hoc adeò, hoc caſum ſolare, ab ſe tua tantus*
*Quòd buſta Dux non diuidat.*

# POMPEIANA
## TERTIA.

TERTIAM aggredior partem, Auditores, Pompeianæ defenſionis, qua quidèm vniuerſam tractationem abſoluere decreuerã, neque bellum diuidere, ad quod vnum reliquæ obiectationes pertinent, ſed mihi habendam veſtri rationem animaduerti, neque vidẽdum quid res poſceret, verùm, quid veſtram modeſtiam, & dignitatem decerer. Hactenùs in Senatu, in foro, in domibus verſati ſumus; alia nùnc ratio gerendarum rerum imminet: iàm in armis, atquè in caſtris eſſe oportet; Cæſar ad Vrbem, Pompeius ad exercitus properant; delectũ tota Italia Conſules habent: nullæ aures à claſſico, nulli à metu animi abeſſe poſſunt: turbantur omnia, conuelluntur, atquè ad congreſſum ſummorum Impe-

ratorum attonitus orbis terrarum, tanquàm in ſpectaculo, hæret vniuerſus. Si diuinare licet, Tragœdiam melioribus timeo, rarò enim cum virtute fortuna coniuncta eſt. Deliberandum autèm hìc videtur, viri fortes, quid nobis agendum ſit, manendumnè cum Cæſare, àn cum Pompeio proficiſcendum? Defendendanè patria extrà patriam, àn in patria oppreſſa cum inuaſoribus debacchandum? Abſit verò hanc à me iniuriam veſtræ virtuti fieri, vt iuſtiſſimam cauſam à vobis exiſtimem deſerendam, nequè malle pro patria occumbere cum Pompeio, quàm patriam violare cum Cæſare. Eundum igitùr, nequè committendum, vt pudore victi ſeram Ciceronis profectionem imitemur; arma in promptu ſint; omnia libertati poſthabeantur.

Atquì mirum cuipiam fortaſsè videbitur, aut etiàm temerè factum togatum hominem de ſago diſſerere, & qui calamo vtatur, de haſta diſputare, atquè in quie-

tis laribus militem agere. Sin autèm in mentem venerit, cuiuſmodi ratio antiqua fuerit bellorum gerẽdorum (vt prætercam conditionẽ pręſentium tẽporum, quaproptèr inter armorũ ſtrepitũ pacifica ſtudia non audiuntur) haùd profectò videbor reprehendẽdus, ità enim id ſe habebat diſciplinæ genus, vt vnà cum lacte peritia rei militaris, exſugeretur, & natura magiſtra vt plurimùm, priſci vterentur; cum ità natura comparatum ſit, vt præſertim in aperto ſuum quiſquè caput ab offenſa tueri, atquè aduersùs nocentes ictum dirigere non ignoret. Quocircà non abs re fuerit me quoquè quamquàm togatum, quiquè exuerim iampridèm vitia patriæ, de certaminibus eiuſmodi verba facere, quæ naturæ inſtitutis proximè ſint conſentanea, rudiaq́; admodùm, & inepta videantur, ſi cum noſtrorum temporum inuentis, & arte conferantur. Quod quidèm vel illa priſca belli fulmina clariſſimi Imperatores fateri cogerentur, & maiore laude

de dignum ducere, qui vnam duntaxàt noſtri ſeculi munitionem expugnauerit, quàm qui antiquitùs amplißima regna ſuæ poteſtatis fecerit. Nàm quis vnquàm animus excogitare poſsit, quid addatur militaribus ſtudijs, & conatibus? Iàm cum natura, cum Deo ipſo (ſi fas eſt dicere) machinationibus certare audaces homines didicerunt. Illa prouincias, & regiones perpetuis altiſſimarum alpium iugis muniuit, & ſepſit; fluuiorum, lacuum, marium profunditatibus interiectis à vi extera liberauit. Hic quaſi à furentium hominum audacia ſuperiorem Hieroſolymam, & ſanctiſſima beatorum domicilia tueri vellet, plurium orbium antemuralibus, plurium luminum cuſtodijs firmauit vrbem ſempiternam, diſpoſuit præſidia, & propugnacula Planetarum: armauit etiàm inferiores partes grandinum lapidationibus, fulminum telis, quibus gigantum impiæ opes contererentur, & caderent. Quæ omnia noſtris temporibus truces homines

æmulati ità opere conſequuntur, vt ſine admiratione ſpectari nòn poſſit, quantum licere humanis ingenijs indulgentia Numinis patiatur. Muris enìm ambiunt oppida in horribilem profunditatem, atquè altitudinem porrectis, quorum imæ partes patent latiùs, ſummæ anguſtiùs, vt obliquitas rectitudinem ictuum eludat; intimam ſuperficiem perpetuò, & patenti aggere ſoli impenetrabilis communiunt; extremam profunda, & lata foſſa circũdant; ipſa mœnia nùnc recta ædificant, nùnc obliqua; interijciunt propugnacula prominentia, quæ inſtar brachiorum corpus rectarum partium defendunt, ne qua vis continuum murum poſſit diruere: intùs occultę cauitates, atquè aditus ſubterranei ad cuniculos eludendos, ad ſubſidia externa recipienda, ad erumpendum hoſte dormiente, vel inconſulto. Addunt arcem, in quam quicquid ſtructuræ, ac firmitudinis alibi explicatur, compendio colligunt: ibi ſecuritas, ibi vita poſſeſſionis, ſedes domi-

dominatus, ex ea perpetuis firmata præſidijs, veluti è corde animati corporis, cuncta prodeunt ad tutelam pertinentia, ſtationum diſpoſitio, vigiliarum ordo, militum diſciplina, & virtus. Tanta munitionum,& machinarum vi nihil videtur potuiſſe hominibus in mētem cadere formidabilius. Cecidere tamèn, atquè ab ipſorum ingenio felicitèr abſoluta ſunt æris cauati tormenta maximi terroris, fulminum impetum, fragoremquè imitantia, quæ per muros ſtationibus idoneis diſtributa nitrato puluere,& crepitantium referta ſaxorum globis, vix admoto ad obliquum foramen extremæ partis accenſo funiculo, cōcipiunt feralem ignem, horribiliquè ſtrepitu reboantia fulgur explodunt, comminùs, eminùs oppugnantium aggeres diruunt, caſtella conuellunt, aciem proturbant, integras legiones diſcerpunt, atquè adeò in cinerem redigunt, vt ne ipſe quidèm cinis ſuperſit. Stragem, vaſtitatemquè apud hoſtes rerum deſperatio

ratio ſequitur. Omitto grandinem lapidum omnibus ſeculis familiarem; nouam, atquè horribilem grandinem ollarum pice, ac ſulphure grauidarum, tùm accenſarum adinuenerunt, necnòn igneam quaſi pluuiam è Tartareis vaporibus ab iracundiæ Sole flagrantiſsimo contractam in ſubeuntes Iouis æmuli præcipitem fundunt. Qui plutei? quæ vineæ? quæ contignatio tabulatorum in muralem machinam? quæ operoſsiſsima militiæ veteris inſtrumenta tantis operibus recèns excogitatis poſsit vel reſiſtere, vel aduerſari, quibus ne nouæ quidèm exquiſitiſſimæ oppugnatorum artes, aut vix ſufficiunt? Etenìm oppugnatores tormentorũ ictum declinare ſatagentes ab aperto cauent, viam procùl cœptam eruta celeritèr humo,& prò aggere conſtituta ſinuoſis ambagibus ad foſſam, & murum deducunt; hac tecti, tutiquè progrediuntur, atquè adeò proximè accedunt, vt nè à ſuperioribus tormentis offendi poſsint, à munimen-

mentis ipſis hoſtilibus protegantur, ſcaliſquè connixi oppidum adoriuntur. Plerique intereà occupato terræ tumulo, ac lignorum, cratium, & cœni ſtrue intrà iactum fulminis excitata, coronam propugnatorum igneis tormentorum glandibus exturbant, moles diruunt, atquè aſcendentibus commilitonibus aditum patefaciunt. Sin opus ex voto proceſſerit, ad fraudes conuertuntur; occultos cuniculos procùl fodiunt, mœnium fundamenta petunt, aſſequuntur, accenſoquè ſulphure, ac nitro turres, & propugnacula horribili conuulſione, ac terræ hiatu ad ſydera iaculantur. Intempeſta interdùm nocte ſuccedunt portis, æneam quaſi cucurbitam, denſo puluere nitrato confertam vnco ſuſpendunt, ignem admouent, tantoquè impetu clauſtra conuellunt, vt Cœlum ruere videatur, adituquè latiſſimè reſerato, rarò tamèn vſuuenit, nec ſine plurium capitum ingenti pretio, vt oppido, & munitionibus potiantur. Sic quaſi apud

nos

nos cauſæ deſint moriendi, nouas quærere nòn dubitamus, nequè noſtram inſaniam animaduertimus, qui contrà Naturę leges in ſtrage hominum gloriam, & famam collocamus. In hæc complura lubenti animo, Auditores, digreſſus ſum, quò paulìſpèr homo rudis bellicarum artium huiuſmodi exercitatione proficerem, & Martialis flammæ nonnihil conſecutus, eò minùs arma priſca pertimeſcerem, quò recentia perluſtrauerim.

Quoniàm autèm interſunt fortaſsè nonnulli, qui ſuperiores noſtras diſputationes nòn perceperunt, vereorquè, vt memoria rerum dictarum, tanto interiecto temporis ſpatio, ne veteribus quidèm Auditoribus ſatis ſit, operæpretium exiſtimaui altiùs repetere ſumma capita, & narratione perbreui rem complecti. Cum initio propoſuerimus huiuſce politici noſtri laboris Argumẽtum eſſe DEFENSIONEM POMPEII MAGNI, & obiectationum, quas partìm apud antiquos literis conſi-

gna-

gnatas reperimus, partìm ipſi à recentiori bus audiuimus, originem inueſtigaremus, de accuſatoribus primo loco diſſeruimus, quorum alios hoſtes, alios amicos, alios neutrarum partium fuiſſe demonſtraui-mus. Cum de hoſtibus egimus, Cæſaris, Pompeijquè mores, vitæq; rationem contulimus. Cum de amicis, Catonis, ac Tullij conſilia, & mores examinauimus, rationes etiàm, quibus reliqui permouerentur, explicauimus. Tùm ſeptem calumnias acerrimas recenſuimus Pompeio illatas. Primam, & ſecundam itèm propulſauimus, quarum altera Pompeio vitio dabatur nimia ſolertia, qua Cæſarem antè diſſenſionem amplificauerat; altera reprehendebatur, quòd bello Ciuili operam dederit, quo tempore minùs expedire videretur. Hùc noſtra oratio deducta eſt. Nùnc ad tertiã obiectationẽ accedamus.

Damnant itàq; Pompeium reprehenſores, quòd Romam, aduentante hoſtilitèr Cæſare, deſeruerit, Senatumquè, & exer-

exercitus tràns pontum traiecerit, illud enim factum negant ſapientèr, cum proptèr belli, Duciſquè exiſtimationem fugæ infamiam ſubeuntis, tùm quià plurimùm ad res gerendas, & victoriæ fiduciam intereſſe videbatur nòn omittere caput rerum, atquè ibi ſedem belli ſtatuere, vbi ſedes erat Imperij: maximi enim momenti, atquè in omnium animis præualidum habebatur nomen Vrbis rerum dominæ, quæ nòn ſine magno ſui terrore adeò afflicta quoquè minaretur, vt vel ipſe Pœnus Annibal durus, ac perpetuus hoſtis Romani nominis caſtris in conſpectu poſitis, maieſtate loci deterritus pedem retulerit. Confirmant argumentum rationibus, exempliſquè, quandoquidèm faciliùs à capite propulſamus iniuriam, eoquè incolumi membra defendimus, quàm reliquas partes tueamur offenſo capite. Cumquè Roma arx eſſet quaſi quædam tanti Imperij, multò certiùs ex arce oppido poſſumus opitulari, quàm ex oppido amiſ-

ſam

ſam arcem recuperare. Nequè enìm Themiſtoclis Athenas bello Perſico deſerentis periculoſa conſilia à tanto Imperatore probanda videbantur, cum meliorem haberet auctorem Periclem, quem ſequeretur; agri namq; Attici detrimenta vir ſapientiſsimus nihili fecit, dummodò Ciuitatem aduersùs Lacędemoniorum ferreum diluuium tueretur, cum exploratum optimè haberet, hoſtes nòn capta vrbe, nihil cœpiſſe, atquè ex agro tanquàm ceſſante fluminis alluuione, decedere neceſſariò debuiſſe. Ità grauiſsimi viri arguunt, in primis M. Tullius; Cæſaremquè miratum ferunt, cùr Pompeius Ciuitatem adeò munitam ad prædam ſibi reliquerit. Hæc profectò nòn parùm vrgere videntur argumenta, ſed nobis, quæ Pompeij conſilia fuerint, conſiliorumq; rationes antè inueſtigandum putò, quàm ad reſponſiones accedamus, quò commodiùs accuſatoribus ſatisfiat. Pompeius in Ciuitate libera, factionibus diuiſa, & ſubitis terroribus

perturbata de voluntate hominum cùm nihil certi habebat, tùm benè ſentire minimè poterat. Plebem vario retium genere captam valdè pronam ſciebat in Cęſarem; potentium plurimos donis illectos, è Magiſtratibus nō paucos auro corruptos, matronas ipſas muneribus delinitas, ſicarios, & egentiſsimum quemquè ſpe nouarum rerum erectum; maximam partem Ciuitatis ſuſpectam, incertamq; nouerat. Addo militum globos inſtātibus comitijs à Cæſare miſſos, priuata quidèm ſpecie, quaſi ſuis vnuſquiſq; negotijs operam nauaret, cæterùm illud vnum propoſitum erat, vti abſenti Imperatori in petitione Conſulatus contrà leges ſuffragijs adeſſent. Equum deniq; Troianum Romæ habere ſe Pompeius ſentiebat, ſuam ſalutem, ſuas fortunas, Rempublicam ipſam huiuſmodi periculo ſi commiſiſſet, inſanire mehercule viſus eſſet, cum haberet eos apud ſe, qui vix inſpectis Cæſaris Aquilis patriam prodere potuiſſent, Pompeioq; nòn vt Imperatori

ratori prò exercitu ad defenſionem, ſed vt reo prò cuſtodia ad damnationem, & mortem eſſe. Nequè deſunt recentiora, exempla; vnum in Republica Florentina proximum, præclarumquè eſt, quod antè quadringentos fermè annos ſtatum illius Ciuitatis magnoperè afflixit. Inter cæteras calamitates, quas Federici duo infauſti nominis Imperatores in Chriſtianũ orbem, ac præcipuè Italiam inuexere, Ghibellinæ, Guelphæquè factionum peſtis potiſsima fuit, quippè quę tractum, ſeriemquè per plura ſecula ſucceſsiuam tenuit. Laborabant hoc morbo Ciuitates, pagi, vici, priuatæ domus, frater fratri, parenti filius hoſtes erant, & barbara crudelitate inuicèm digladiabantur; laborabat in primis Florentia, & ſtatus ille popularis vt plurimùm violentia partium execrandum in modum ſuccutiebatur, cum exitiabili viciſſitudine nùnc vna factio, nùnc altera præualeret, ac mænibus, conuentuq; Ciuium æmulam deturbaret. Ghibellinis

exactis, quorum Farinata Hubertus Princeps fuit, Ciuitatem Guelphi, & Rempublicam ſui iuris fecerunt. Ghibellini Senas ſe receperunt, ſequè auxilijs Manfredi Regis impetratis ad recuperandam patriam, focos, araſquè compararunt. Contrà hoſtes tueri victoriam conati ſunt, & præter delectus intimos, maxima ſociarum Ciuitatum ſubſidia collegerunt, atquè ad expugnandas Senas ſe cōtulerunt. At contrà, ac ſecum putauerant, Senis exules cum Germanicis cohortibus eruperunt, & tāto impetu ad Arbiam fluuiū aduerſos exercitus repentè inuaſerunt, vt hi miſerrimè fuſi, cæſaquè XXX. millia ingenti clade, Guelphorū fuerint. Magna eiuſce calamitatis cauſa fuit perfidia multorum, qui cū in pugnam corruptis animis proceſſiſſent, dùm vtriuſquè partis copiæ inuicèm colliderentur, nòn modò ad exules transfugerunt, verùm etiàm (quod barbaram ſuperat immanitatem) in acie proximos vulneribus, & morte affecerunt, atquè vt

ſigna

ſigna ad Ghibellinos transferrent, manum vexilliferis amputarunt. Ità cum res eſt inter eiuſdem patriæ Ciues, incertæ ſunt voluntates, intuta eſt fides. Quod cum vidiſſet ſanè Pompeius, ſumma cum laude conſilij deſerta vrbe, & ſibi, & Reipublicæ cauit. Pro cuius quidèm iuſtiſſima ſuſpicione argumentum ducitur valdè firmum ab ijs, quæ nuntiabantur; Cum enim & literis, & ſermonibus multorum ad Cæſarem perferrentur ſedulò, ſummaq; cum fide quæcumq; nòn modò facta, ſed cogitata quoq; ab hoſtibus imminerent, probèq; noſſet neq; præſidijs vrbanis aduerſarium confidere, nec reliqua adeſſe; Pompeio cuncta ſecùs referebantur. Quamobrem effectum eſt, vt cum Cæſar aduentare nuntiaretur decem ſtipatus legionibus, nequè multa tamèn militum manu reuera niteretur, tãquàm in horribili procella, & nauis periculo tota Ciuitas commoueretur, atquè omninò, ſi ſaperet Imperator, foret abeundum, cum tempus nõ

ſuppeteret quò eiuſmodi incõmodis mederi poſſet, veteremquè militiam magnis terrarum, & marium ſpatijs interclusãm accerſere. Quarè Pompeius negligentèr, nec ſine dolo admoneretur ex corruptã huiuſmodi Ciuium fide, cauſa in promptu eſt (diceret aliquis) proptereà quòd quantùm ſatìs foret ad emendam clientium cõſtantiam, tantumdèm auri nunquàm vel furatus fuerat, vel ſibi reſeruauerat, cum omnes bellorũ vtilitates,& lucra in vſum Reipublicæ dederit,atq; in dona militum, & cibaria populi diſtribuerit; nequè aliã ratione reſponderet noſtri temporis Viro clariſſimo dona Cæſaris in Pompeij ferè contemptum ampliſſimè prædicanti. At verò omnia ſecùs, ſi Italia abeſſet, & mutaret ſtatum belli. Græcia, Aſia, Syria, quicquid pertinet ad Orientem, atquè ad Auſtrum, complura ad Septentrionem, vniuerſa Pompeio militabant;aderant Reges beneficijs affecti,ampliſſima ſociorum auxilia, largi commeatus; magnæ claſſes.

Quis,

Quis, vt capeſſeret adeò certa, illa incerta non omiſiſſet? Quod igitùr obiectant aduerſarij de exiſtimatione belli, ac dignitate Ducis, nullum negotium faceſſere videtur peritis rei militaris, qui nòn modò turpe nòn exiſtimāt, ſed plerunq; glorioſum, ſimulato metu hoſtē eò allicere, vbi plurimū detrimēti capere poſſit, quę ςρατήγηματα Græci appellant. Idem Annibal, Sertorius, Alexander, Cæſar ipſe, quandocumquè expedire arbitrarentur, cum laude factitarunt; ac ne Pompeius quidèm minore fama fuit, cum in eiuſmodi artibus tractandis euentu nòn caruit. Imò verò Plutarchus literis mandauit ea quoquè tempeſtate fuiſſe plurimos, qui hūc potiſsimùm Pompeij abſceſſum inter eius præclara rei militaris opera repoſuerint. Parùm etiàm, aut nihil ponderis videtur eſſe in eo, quod ſubijciunt de nòn omittenda Roma rerum capite; Ciuitas enim nòn in lateribus, & cœmentis, ſed in Ciuium ſocietate tota conſiſtit, nequè Reſpublica parietibus con-

tinetur. Ex quo fit, vt vbi eſſet potiſſimum corpus Reipublicæ, Senatus, Magiſtratus, Imperator, ea Roma habēda foret. Sapientèr illi, qui viro probo vniuerſum terrarum orbem pro Ciuitate, ac patria conſtituerunt, quippè cui mœnium nullis terminis, ſed præſentia, & virtute locus præfinitur. Hoc caput, hæc arx, clariſſimi ordines, fortiſſimus Imperator. Ità in concione pronuntiauit apud Appianum Pompeius ipſe, exemplaq; adduxit tùm Atheniensium, tùm Romanorum quoquè ſub Camillo, cum ingruentibus Celtarum populis vacuam vrbem reliquit, quam deindè recuperauit incolúmem. Cæterùm laudabilius Pompeius exiſtimauit chariſſimam patriam, cuius ſalutem habebat vita potiorem, & pro qua tot pericula, & labores obierat, dimittere, quò deindè belli, ac vaſtitatis expertem reciperet, quàm cum periculo, & compluribus incommodis detinere. Qua in re Dionem Caſſium auctorem habemus locupletiſſimum.

Pe-

Periclem imitandum nòn eſt ratus, quià fidei ſuſpectæ Ciuitatis rem totam committere nòn oportebat, nequè deerat locus, quo Rempublicam conſultiùs tueri poſſet, quàm ſi prouincijs vniuerſis in poteſtate Cæſaris relictis, ea ſola ſibi mœnia reſeruaſſet, quibus obſideretur. Quæ Periclem incommoda nòn angebant, ſatiſquè ipſi fuit operam dare, ne copiæ impares cum hoſte fortiſsimo in aperto congrederentur. Secùs Themiſtocli agẽdum fuit, cui cum res eſſet aduersùs gentes barbaras, quę Atticis opibus immenſa magnitudine anteirent, nequè vna Ciuitas ad effuſum Orientem ſuſtinendum ſatìs eſſe videretur, neceſsitate ductus Athenas vacuas reliquit, naualiquè hoſtem prælio adortus, vbi eundem impeditum proprijs molibus ſuperari poſſe iudicauit, terreſtres exercitus fruſtratus eſt, ac toti Græciæ ſaluti fuit. Sic diuerſa rerum ratio diuerſis conſilijs eundem exitum præſtitit ſalutarem.

Sed Themiſtoclem miſſum faciamus; liceat apud Chriſtianos homines dicenti afferre Imperatoris exemplum, qui Deo ipſo bellicarum artium magiſtro vtebatur. Erat Dauidi Hebræorũ Regi ſapiẽtiſſimo, fortiſsimoq́; filius Abſalomus forma corporis ſuprà, quàm dici poſſit, liberali, & moribus præditus ſuauiſsimis. Hic de opprimendo patre,atq́; vſurpando regno nefariè cogitans popularitate quadam callida ad ſe trahere ſtudia vulgi,ſpe milites,pollicitationibus principes tribuum imbuere inſtituit. Hæc conanti vndiquè aſſenſum eſt; facilem quippè ſceleribus relaxat aditum cupido nouarum rerum, ſpes meliorum. Centuriones, tribuniquè ſocij criminis,& miniſtri conflato ingenti exercitu locum conuentui, diem inuaſioni Hieroſolymæ condixerunt. Famæ (quæ patrati in Bethſabæam, & virum facinoris pœna fuit)nulli aditus ad Regem patebãt; omnia cum deſertoribus coniurauerant: adeò principia magnitudinum coluntur;

de-

decrementa contemnuntur. Adoleſcens ſimulato voto, ſacrificioquè ad copias profectus eſt; cum repentè nuntiatur patri adeſſe hoſtilitèr filium; propterea regno, ciuitati, ſibi cõſuleret. Nox erat: Rex ſempèr victor, nequè metus capax, nihilominùs in ſubito periculo viribus deſtitutus, ſuſpectamquè Ciuium fidem veritus conſilium fugæ capere nòn erubuit, adeò præceps, vt ne expectato quidèm vehiculo, aut calceamentis, nudis pedibus vteretur, traiectoquè Iordane, & prò caſtris oppoſito in tutum ſe contulit. Filius Hieroſolymis pro libidine abuſus eſt. At Dauides eiuſmodi abſceſſu ſpatium temporis mercatus contraxit exercitum, deleuit perduelles, recuperauit imperium. Egregium planè facinus fuiſſet, ſi ne regiam Rex maximus, dux ſummus amitteret, regnum, vitamq́; interceptus amiſiſſet: Eiuſmodi generis conſilium Pompeij fuit, etſi eiuſdem nòn euentus. Si peccauit, cum grauiſsimis auctoribus peccauit. Quod ſi Cæſari, ſi Octa-

uio

uio victoria obtigit, eaquè idcircò videatur bellorum Ciuilium conditio, vt qui vrbem teneat Regni caput, ille ſuperior ſit, videant profectò homines, quàm nihil firmũ extet ſub Sole, quàmq; ità Deo ſtatuente ab exemplis legem ducere res fallaciæ ſit plena, cum nequè Mario, nequè Othoni, nequè Vitellio tenentibus vrbem victoria obtigerit.

Hùc M. quoquè Tullij acerrima ſpectare videtur reprehenſio, quòd Pompeius L. Domitium hoſtibus opprimendum ad Corfinium reliquerit. At ſinamus reſpondere Magnum ipſum, cuius ad Domitium extant epiſtolę complures apud eundem M. Tullium in ijs, quæ ad Atticum: ſatìs enim ſedulò præmonuit hominem, ne ſe à Cæſare intercludi, atquè implicari pateretur, quominùs iter ad coniungẽdas copias ſibi eſſet expeditum; maturaret, antequàm omnes aduerſariorum opes conuenirent; diſtractos ſe pares eſſe Cæſari neutiquàm poſſe; coniunctis verò firmitudinis,

dinis, ac præſidij ſatis fore ad Rempublicam defendendam. Quòd ſi aut deſidia, aut nimia ſui fiducia homo durus interceptus eſt, cùr inuidiæ reus Imperator eſſe debet? cui profectò nòn fuit committendum, vt ſummam rerùm in diſcrimen vocaret, quò paucarum cohortium rationem haberet, voluntarijſquè legati periculis ſubueniret.

Nùnc eò progreſsi ſumus, Auditores, vt mutatum videamus rerum ſtatum: Actio Comœdiam potiùs, quàm Tragœdiam videtur polliceri. In tranſmarinis regionibus eſt, quod nobis voluptatem afferat nòn vulgarem. Cæſar intercluſus ſigna amiſſa, pulſum exercitum, militum interfecta plura millia magnoperè queritur. Pompeius ſuperior rationem ſuorum conſiliorum nòn ſine ratione fuiſſe opere confirmat. At ne hìc quidèm parcunt maledictis obtrectatores, & lætitiæ dulcedinem felle exprobrationis inficiunt. Cæſar ampliſsimis, & difficillimis operibus

Pom-

Pompeianos ad Dyrrachiũ vſqueadeò cir-cumuallauerat, obſederatquè incredibili locorum ambitu caſtellis excitatis, vt eos veluti feras retibus concluſas in ſua manũ eſſe arbitraretur. Sed eximia vnius virtus momento temporis diuturnam alterius fe-fellit induſtriam. Pompeius enim nòn modò ſuos obſidione liberauit, ſed Cæſarem circumfuſus corona cinxit, ſigna complura abſtulit, larga ſtrage, ac detrimento affecit, pulſumquè in vitæ periculum deduxit egregiè. Cùr eodem victoriæ impetu, & fiducia militum caſtris Cæſarem nòn exuerit, vehementèr incuſant; Cæſar præſertìm dixiſſe fertur, eo duntaxàt die ſe vinci potuiſſe, ſi hoſtes ſcientem vincere habuiſſent; cum id præceptum ſit in re bellica celeberrimum, vt victum hoſtem, ac recenti clade perterritũ domicilio ſpoliemus, ne quid perfugij ſuperſit, quò reliquias afflicti exercitus contrahat, ac ſpe omni deſtitutus bellũ reparare neutiquàm poſsit. Sic Alexander, Cæſar, & ſummi qui-

què

què Imperatores expedita victoria potiti ſunt. Imò verò cùr ſe ipſo magiſtro Magnus nòn vteretur, qui Africano bello, quo Domitium deleuit, Hiarbam cepit, nòn priùs in Imperatoris nomen cōſenſit, quam vallum hoſtium deriperetur,& caderet? Quicquid tamèn garriant iſti,nòn ſine ſingularis prudentiæ laude huiuſmodi conſilium Pompeij fuiſſe fatendum eſt. Nàm cum id præceptum locum fortaſsè habeat, vbi iuſta acie collatis ſignis, ac tota mole virium certatum fuerit, nequè à vacuis, atquè integris copijs imminet metus, eo die, nequè iuſta acie, nequè totis viribus à Romanis Imperatoribus pugnatum fuerat, ſed facto à Cæſarianis initio, inſidijs primùm, apertis deindè velitationibus circà munitiones,res ad acerrimum prælium deuenerat; in quo quidèm quemadmodùm Pompeius ne tertiam quidèm ſuorum militum partem Iulianis obiecit,ità Cæſari ſupereſſe plures copias, quæ in pugnam haudquaquàm de-

deſcenderant, ritè exiſtimare Pompeius debuit, nec fortaſsè non ſuperfuerant. Quamobrèm cautè admodùm ſibi agendum eſſe iudicauit, dehortante præſertìm Labieno, qui rerum in Gallia geſtarum Cæſari ſocius omnes viri aſtus, induſtriáq; nouerat. Verum enim verò triplices Pompeius animaduertit, mea ſententia, difficultates, eaſquè grauiſsimas, quibus vlteriùs Cæſari non inſtandum, nequè ſibi caſtra expugnanda eſſe admonebatur. Quarum quidèm prima fuit nox imminens; nàm cum negotium niſi multa nocte confici non poſſet, quis ille mortalium fuiſſet, qui rem tantam nocti inſidiarum opifici commiſiſſet, ſequè circumueniendum fraudibus obieciſſet? nedùm Pompeius Magnus, cui multis, maximiſq; rebus exercito probè exploratum erat bellum ſibi eſſe non cum barbaris, imperitiſquè hominibus, ſed cum Romanis legionibus, cum milite vſu, & peritia bellicarum artium magnoperè prædito, cum Im-

pera-

peratore, qui haùd minùs dolis, quàm armis vteretur? Videndum enìm cum quibus certes, nequè vna vbiquè ratio ineunda; quandoquidèm nequè Medici vno, eodemq́; pharmaco quodcumquè morborum genus aduersùm eunt. Vix eruperat ab obſidione Pompeius, hoſtis ignotas munitiones tentare per tenebras, neutiquàm video, cui probari ſapienti poſſit, cum pręſertìm, & ſuos ipſe Cęſar ob ignorationem Pompeij operum, quamquàm exploratore ſole vterentur, eam cladem accepiſſe fateatur. Nimirũ ſic in arcto ſuarum partium fortunam poſitam eſſe exiſtimandum Pompeio fuit, vt illo vno die vniuerſa terminaretur? exercitumquè diuturna fame, ac vulneribus infirmum opportuniore tempore ab ſe deleri poſſe cõfidere non deberet? Quid verò noſtris rationibus coniectura ſubſidiũ quæramus, cum ſuppeditet ipſe hoſtis in Commentarijs, prodatq́; hoc ipſum, quod nos adeò demonſtramus, metu inſidiarum Pompeium

peium ſtetiſſe? Altera erat difficultas, in quã incidere Pompeius videbatur, ne vltima neceſsitate, ac pudore adducti Cæſaris milites fortitèr dimicando reſiſtere, atquè accepto detrimẽto mederi, idemq́; ſarcire conarentur; qua profectò in re vſqueadeò fortuna minùs conſtare poterat, vt victor exercitus pelleretur, atquè in extremum periculum tota Reſpublica traheretur; grauiſsimi enìm, vt ait Portius Latro, morſus ſunt irritatę neceſsitatis, quę ignauiam quandoquè acuit, atquè vbi nihil ſpei ſuppetit, ipſa formido audaciam induit, arma ſumit, atquè acerrimè rem tuetur. Quocircà & Africani laudata ſententia eſt, viam victis hoſtibus, qua fugiant, eſſe aperiendam admonentis, & Pyrrhi Epirotarum Regis præceptum Imperatoribus cõmendatum, quo per ſummam prudentiam cauit, ne hoſti fugienti pertinacitèr inſtaretur, nequè deſperationi locus relinqueretur, cum ſæpè fiat, vt rerum ſtatus ex nimio vincendi ardore, ac libidine commutetur.

tetur. Nàm quid Cn. Manlium Conſulem perdidit, niſi Ethruſcorum, quos iàm vicerat, in caſtris concluſio, qua eorum audaciæ, ſuæ cædi locum tribuit? Quæ alia res Antuates, Veragros, Sedunos apud Octodorum afflixit in Gallia, atquè exploratam victoriã de manu eripuit, quàm deſperatio militum Galbæ, qui cum res eſſet in extremum adducta diſcrimen, vitam, ne vitam, famamq; amitterent contempſerunt, atquè eruptione facta hoſtem ingenti ſuo periculo profligarunt? Quem non doceant (ne à noſtris quoquè abhorreamus) Demetrij Regis copiæ, quæ cum victos Iudæos, ac Ducem Ionatham nimis vrgerent, pręlij euentum ſuo interitu conuerterunt? Vox me deficiat potiùs, quàm exempla, ſi ſingula recenſuero, quibus tamèn firmamẽtis ratio non eget; videtur enim in anguſtias, deſperationemquè adductus hoſtis ignis, exhalationumquè naturam, & conditionem induere, quæ circumuentæ, ac preſſę tantam vim adipi-

ſcuntur, vt in fulmina, atq; horribilia conflatæ porteta immanes, ac formidabiles cladium procellas plerumq; afferāt. Quocircà ſapiētèr Abnerus 2.Reg. aduersùs Ioabum inſequētem bellis Ciuilibus, inter domum Dauidis, & domum Saulis exclamauit.

*Num vſquè ad internecionem tuus mucro deſæuiet? an ignoras, quòd periculoſa ſit deſperatio?* Quæ res eò magis cauenda Pompeio fuit, quò Cæſarianos milites cauſæ conſcientia, proùt fit in iuſto metu, omni ſpe veniæ deijcere poterat, quamquàm Pompeius, vt Paterculus inter cæteros auctor eſt, ex innata virtute facillimus haberetur, atquè ad remittendam iniuriam pronus. Quod Cęſari incōmodùm timendum minimè fuit, qui nihil Pompeianis potuit obijcere, cuius conſcientia perturbarentur, nequè de victoris gratia, clementiaq; deſperarent. Tertium, quod ab expugnandis caſtris Pompeium deterruit moleſtiæ genus, fuit exercitus laſſitudo; cum enim eo die diuturno, ac multiplici prœlio ſtrenuè

nuè vſquè ad veſperam dimicaſſet, in nouos, nocturnoſquè congreſſus mittendus temerè non videbatur, nequè geminatis laboribus fatigandus: cùr enim ſpatium negaretur, quo ſpiritum reuocaret? An adeò contemnendi conatus, & periculi res erat cum Cæſare, cumquè deſperatis hominibus manum conſerere, vt cum internis etiam hoſtibus affectare pugnam deberet? Tot, tantiſq; rationibus niſi ſatis quæſtioni factum aduerſarij putant, ad eos appello, qui omnia Cæſaris facta, dictaquè vſquè ad admirationem ſuſpiciunt, imò verò ad Cæſarem ipſum, qui quidèm ſi ritè meminit ſui, haùd ſcio cùr illud reprehendat in hoſte conſilium, quod ipſe aliquandò contrà Britannos & opere probauit, & ſua manu literis tradidit. Igitur egregiè, ſapientèrquè à caſtris Cęſaris Pompeius abſtinuit, cum profectò omnia viderit, omnia cauerit; & quemadmodùm quibus artibus eludi poſſet æmulus, ad Brunduſium anteà demonſtrauerat, ſic

qua ratione vinci, eo die ad Dyrrachium oſtendiſſe ſatìs ſibi eſſe iudicauit, ne aleam deincèps fortuna mutaret, cum tutiora quærenda ſempèr, ac tantus hoſtis paulatìm, & quàm minimo cum Pompeianorum incommodo fieri poſſet, attenuandus, ſuperanduſquè videretur. Quo ſanè conſilio nihil excogitari potuit ad exploratam victoriam, certamq́; comparatius, vt vel collatis ſignis dimicandi Pompeius fortunam vitaret, vel ſi dimicandum, diminutus hoſtis minùs valeret. Cum eiuſmodi abſunt difficultates, exuatur continuò caſtris hoſtis, profligetur, deleatur. Quas quidèm, aut affines abfuiſſe, cum Domitij caſtra perfregit, & prudentia, peritiaquè Imperatoris perſuadere poteſt, & hoſtium conditio, qui barbari vt plurimùm, quàm longiſſimè à Romana virtute aberant. Atquè hæc ſatìs hodierno die dicta fuerint, vt aliquandiù ea fruamur voluptate, quam ex huiuſmodi victoria percepimus Pompeij noſtri; etenim gli-

ſcente in Italia bello, non abs re exiſtimauerim adhùc nonnulla ſupereſſe, quæ à nobis de bello differantur.

---

Breuiorem Actionem prolixior Poëſis excepit, & prior Socrates ſuo more ex eadem præceptum eruit.

*Fortuna euentus ſibi ſi rerum arrogat omnes,*
*Aut magè fortunæ maximus ipſe pater.*
*Dùm cōſultus agas, multa eſt tua gloria; paulùm,*
*Quiſquis ab euentu iudicat, ille ſapit.*

In Militares artes veteres, nouaſq; Philo.

*Vos, Macedo, appello, Pōpei, Cæſar, & armis*
*Quicumq; antiquo clarus in orbe fuit.*
*Spectate has operum moles; hęc ſpicula Martis,*
*Dicetis faciles veſtra fuiſſe iocos.*
*Sin quiſquam obijciat plures ea ludicra tela*
*Deleuiſſe acies, quam fera noſtra modò.*
*Concedo, ſed maius opus virtutis habendum eſt*
*Vincere, & humanum nolle perire genus.*

De Themiſtocle. Nicocles.

*VT ſerues patriam rebus in aſperis,*
*Vt fundas modicis viribus hoſtium*
*Immanem numerum victor, ab Attico,*
*Qui Martem ſequeris, diſce Themiſtocle.*
*Hìc Pandioniæ mœnia regiæ*
*Deſerta, & viduos pube lares vides;*
*Attritos penitùs Graiugenas putes.*
*Aſt armis Oriens totus in horridis*
*Terrarum ſpatia, atq; æquoris occupat,*
*Dicas illuuiem (nec mora) Perſicam*
*Hauſuram miſeræ littora Græciæ.*
*Iam deflet paries quiſquè, nec incolas*
*Sperat, quos aluit, poſſe reuertere;*
*Conuerſis abeunt luminibus ſenes,*
*Et preſſis teneræ ad pectora liberis*
*Matres ingeminant verba dolentium.*
*Sed iam ſollicitis humida nauibus*
*Sulcantur maria, it maximus agmine*
*Perſarum domitor, nec timet obuius*
*Maior conſilijs ipſe Themiſtocles.*
*Iam iam ſigna canunt, conſeritur manus,*

*Con-*

*Concurrunt validis vndiq; molibus,*
*Et mixtis trepidant ſalſa periculis.*
*Aduersùs ſolidam non ſatis eſt tamen*
*Virtutem numerus, nec putet imparem*
*Quiſquam ſe ſe opibus, ſi ingenio valet.*
*En Pandionij protinùs emicant*
*Victores; pelagi cærula fluctibus*
*Horrent ſanguineis; it Babylonius*
*Ciuis ſemineci per vada pectore;*
*Nant criſtæ bibulæ; merſus acinaces*
*Medus ſub latebras effugit intimas;*
*Rex ipſe armiſonis antè ferocior*
*Xerſes Aſſyrijs, qui freta pontibus*
*Damnarat, trepidis Numinibus maris,*
*Et noſtros Aſiæ iunxerat aggeres,*
*Oppreſſus propriæ mole potentiæ*
*Vix cymba auehitur (proh pudor) obuia,*
*Et fœda ſtatuit ſubſidium fuga.*
*Sic cuius tenues Graiugenæ modò*
*Suſpenſis animis caſtra receperant,*
*Huius terga vident, & ſua gaudia*
*Proſtratis celebrant hoſtis honoribus.*

## In Abſalomum perduellem. Lyſias.

*FOedatam, puer Abſalom, ſororem,*
*Quæ blandis oculis, genis venuſtis,*
*Necnon molliculo nitens capillo*
*Fratrem neſcia mouerat vel ipſum,*
*Vltus iam fueras manu, videri*
*Quod iuſtè poterat fuiſſe factum,*
*Nec tuo maculam dabat nitori;*
*Nam magnum eſt violarier ſororem.*
*At cum perſequeris pium parentem,*
*Præclaris memorabilem triumphis*
*Parricida cruentus, & Syonis*
*Cum regnis inhias, premiſquè bello,*
*Sat prodis, fuerit tibi cupido*
*Quæ, ſceptris vbi proximum necaſti*
*Germanum patrijs nihil timentem;*
*Aut ceſſere priora cum venuſtè,*
*Feſtinant animi ad ſecunda probra.*
*Par tibi haud laqueus fuiſset, amens*
*Ah nimis puer, ac tuus capillus,*
*Eiuſdem capitis quidèm capillus,*
*Quod tanti ſcelus edidit furoris.*

*Vno*

*Vno à principio, parente ab vno*
*Quàm crimen benè, criminiſquè ſæpè*
*Iubet ſupplicium ſcatere Numen.*

## Verba Dauidis Regis in Abſalomum filium. Archias.

*TV quoq; blande puer, flauo ſpectãde capillo,*
*Quem mihi concepit coniux Aegyptia Regũ*
*Magnorum ſoboles, audes ditione parentem*
*Pellere, iurataſquè armare in bella phalanges?*
*Tu formæ inſignis ſtudio, tu mollior vnus*
*Agmine fœmineo, rigidis aſſueſcis in armis,*
*Atquè laboratos ærata caſſide crines*
*Comprimis? annè ſcelus fortẽ facit? ecqua parẽtis*
*Noxa fuit? quid commerui? niſi forsàn amaui*
*Te nimiùm, veniamq; dedi, cum cæde maderes*
*Fraterna, & ſacras fœdares ſanguine menſas.*
*Sic eſt, flagitio cauſam præbere ſecundo*
*Ille ſolet, qui non perſoluit iuſta priori.*
*At conſors nonnè imperijs, deterrime, noſtris,*
*Quod dulce eſt regni, totum ſub patre tenebas?*
*In puerum pronus genitor mandebat amarum.*
*Sed fuga ſubſidio ſubeat, ſed Dauidis hoſtis*

*Nunc*

*Nunc primum, nũc terga premat, ſed filius hoſtis,*
*Dauidis, innumeræ quem non preßere cateruæ*
*Finitimùm; ſempèr victorem auertere Regem*
*Gloria ſit demùm pueri, ſic Arbiter Orbis*
*Humanos frangis faſtus, menteſquè ſuperbas;*
*Sic adeò, ſic ipſe iubes, ego iuſſa capeſſo.*
*Forſitàn has olim larcymas fudiße iuuabit,*
*Et pudor ad laudem fuerit, cum deſinet ira.*

Roma Pompeio Magno ſuo. Gorgias.

*HAnc tibi, Pompei, mittit tua Roma ſalutem;*
*Quàm melius coràm, ſi velis, ore loquar.*
*Pondus habent tamèn, & longè prçcordia matris,*
*Atquè amor in ſcripto cortice pondus habet.*
*Nunquàm ego credideram queſtus effundere poſſe*
*Me tibi, nec cauſa, Magne, dolere tua.*
*Tu me liquiſti ſolida tellure parentem,*
*Mobilibus credas vt tua caſtra vadis;*
*Et Graiæ vt ſerues rem noſtram in littore terræ;*
*An neſcis Graijs rebus abeſſe fidem?*
*Quid, rogo, commerui? manui fortaſsè negaui*
*Aut belli, aut pacis grandia ſceptra tuæ?*
*Vis*

*Vis tibi, non titulus Regis; tu Romulus Vrbi,*
*Atquè inter leges, lege ſolutus eras.*
*Tantus amor populi, quantum nec nata, nec vxor*
*Deliciumquè patris, deliciumquè viri eſt.*
*Et tamèn in cineres odia importuna paternos,*
*Vt mos, nec ſoboli parcere debuerant.*
*Dilexi vſqueadeò genitrix, vt fata putarem,*
*Quæ tibi contigerint, quælibet eſſe mea.*
*In te ſpes omnes, in te mea vota manebant,*
*Et cauſa placui vel mihi, Magne, tua.*
*Seu te Celtiberis teneat Sertorius armis,*
*Seu tibi dent longas Pontica bella moras,*
*Siuè premas toto piratas æquore fuſos,*
*Et citiùs vincas, quàm tua fama volet;*
*Excidio quamquàm Capitolia celſa pateſcant,*
*Inſtruat infames & Catilina faces.*
*Me tibi ſeruaui tamèn, & captiua triumphis*
*Saxa ferox volui tuta manere tuis.*
*Currus Auroram volui, Septemquè Triones*
*Pergere ſub noſtris molibus ante tuos.*
*Quid memorem celebrata priùs ſpectacula? quippè*
*Ter victam tellus ſe tibi terna dedit.*
*Hic ipſa oſtendi ſempèr, mea ſola voluptas.*

Quàm

*Quàm fueris, placeat quàm labor iſte tuus.*
*Quanti rem faciam dextra protendere Magni,*
*Quà liquidum ſolis flamma recurrit iter.*
*Verùm quid prodeſt faſces portaſſe Latinos*
*Hinc Scythici ad ripas Phaſidis, indè Tagi,*
*Ni Romam, teneat quæ latè parta, tueris,*
*Nec patriæ ſeruas libera iura tuæ?*
*Quid iuuat auerſi bello loca quærere mundi,*
*Hæc ſi alia linquis diripienda manu?*
*An caput imperij te proſit omittere ſummum,*
*Aemulaquè in ſolio ſigna videre tuo?*
*Vt procùl à morbo morbi medicina petatur,*
*Et fuget Eous Cæſaris arma chalybs?*
*Siſte rates, conuerte gradum, te fama fefellit,*
*Exiguas acies ſcilicèt hoſtis habet.*
*Non hic centena eſt legio, non mille cohortes,*
*Finitimum Rheno quæ domuere ſolum.*
*Prò numero tenet ille auſum, tenet ille furorem,*
*Atquè vbi deeſt miles, mobilitate valet.*
*Neu te ſuſpicio fidei mentita fatiget,*
*Illa ego ſum ſempèr, quæ tibi, Magne, fui.*
*Da multos colere infidum caput acris Iuli,*
*Pompeij optabunt non niſi ſigna boni.*
*Se-*

*Sectetur luxu pollens Antonius hoſtem,*
*Curioquè Auſoniæ dedecus ille togæ,*
*Te Cato, te Brutus, te nomina ſancta fouebunt*
*Omnia: pro innumeris eſt tibi nempè Cato.*
*Atquì olim immenſi furiata mente ruebant*
*In mea iurati viſcera ferre manum;*
*Penè omnis corrupta domus, Catilina nefandus*
*Omnes implerat ſeditione vias.*
*Verùm ita cum claro inſontes Cicerone fuere,*
*Vt tanti peſtis ceſſerit atra mali.*
*Tu non inferior Ciceronis imagine fulges,*
*Hoc illum, at Magnum millia facta probant.*
*Te modò conſpiciant, ſubitò tua caſtra ſequentur;*
*Imperium capitis cætera membra colunt.*
*Sed iam theſauros, patriæquè inuadit honores*
*Hoſtis, & Heſperij cogitat arma Tagi.*
*O vtinam tantùm valeant Afrania iuſſa,*
*Nec miles ſolo ſit duce fortè minor.*
*Tantùm Petreij imperium, Varronis & auſa,*
*Vt furijs poſſint Cæſaris eſſe pares;*
*Sint validæ quanuìs acies, & fortia caſtra,*
*Haud capiti aptantur ſcilicèt illa tuo.*
*Non ſic damnatis agitur cum Cæſaris armis,*
*Agmina*

*Agmina habent regem Cæſariana ſuum.*
*Ille poteſt multùm, multùm quia poſſe videtur,*
*Fortunam fingit nauitèr ille ſibi.*
*Sed quid diſſimulo? tibi quę ſententia, Magne, eſt?*
*A me conſultor quis procùl ire iubet?*
*Si ſuperes, victuſquè hoſtis tibi cedat honorem,*
*Extera quid decores littora laude tua?*
*Vt mihi prælati doleam loca vilia campi,*
*Eſſe ſalutantum nec tibi prima queam?*
*Sin verò expertus fueris crudelia fata,*
*(Omina, quæ vertat Numinis ira procùl)*
*Quæ melius caſum tellus ſoletur iniquum,*
*Quàm tibi natalem quæ dedit alma diem?*
*Nunquid victa olim pulſum te barbara cernens*
*Conſcia Pompeij terra timentis erit?*
*Nunquid Romano rorantem ſanguine Parthum*
*Conuenias, turpem, qui tibi præſtet opem?*
*Hoſpitauè infidi quærantur regna Canopi,*
*Auſonio & capiti ſit peregrina ſalus?*
*Quòd ſi contigerit ſcelerata occumbere pugna,*
*Speque ſimùl noſtra cum pereunte mori,*
*Quis melius legat & cineres, condatquè ſepulchri*
*Fornice, quàm genitrix obſequioſa tuos?*

*Ipſa*

*Ipſa aderit mecum lacrymis Cornelia mixtis,*
*Hinc ducet coniux funus, & indè parens.*
*An nullo incluſus loculo iactetur arenis,*
*Cui populi vt magno thura dedere Deo?*
*Hocnè etiam Fortuna ferox ſe crimine damnet?*
*Hoc addat titulis inuida turpe ſuis?*
*Sed ne his auſpicijs abeas; proſcriptus, & exul*
*Haud Cæſar teneat Martia templa diù.*
*Dij patrij prohibete nefas, animæquè, Tyrannos*
*Quarum præcipites dextera ſancta dedit.*
*Ducite vos Magnum, redeant victricia vela,*
*Libera ſit natis curia celſa meis,*
*Prædoniſquè feri ſcopulis illiſa carina*
*Corruat, & iuſtis digna voretur aquis,*
*Aut certè campis audens confligere apertis,*
*Sub Pompeianis enſibus ille cadat.*
*Talia, Pompei, matris te vota ſequuntur;*
*Cur mihi cum votis non licet ire meis?*

# POMPEIANA QVARTA.

PACEM in Italia recepimus, Auditores, nobis autèm adhùc de bello dicendum eſt; hilares ſumus, rem verò triſtem præ manibus habemus. Nòn temerè tamèn, Ægyptios enim imitabimur, à quibus nulla memoria mortis exuta celebrari conuiuia fuiſſe ſolita antiquiores paginæ teſtantur. Experientia, quippè ſatìs, ſuperquè docet, aut nullam luctu carere voluptatem, aut illam breuiſſimam, & ferè momentaneam nobis contingere. Quocircà cum incommoda, & calamitates adeò familiaritèr mortalibus accidant, vt has natura ipſa ſecum afferat, haùd mirari vehementèr nequeo, quamobrèm fiat, vt quibuſdã ſæpè euentis tantoperè commoueamur, quæ vitare nullo modo poſſumus, cum præſertìm

ſola-

ſolatium in ijſdem maximum ſit virtutis experimentum, & gloria. Atquì natura propè cum natura pugnante ità inſtituti ſumus, vt immortalis famæ fructu vnuſquiſquè gaudeat, laboribus nemo. Quod profectò in Philoſophia quoquè firmiſſimum argumentum, ſi cætera abſint, eſſe iudico ad probandam indeficientiam animæ ratione vtentis, quippè quæ ſuaptè natura ſenſibus diſcors, cum hominum ſenſus voluptatem appetant, prætereà nihil, honeſtum ſolum concupiſcit, ex quo manſuram gloriam colligere valeat; nàm ſi anima mortis faucibus eſſet obnoxia, quorsùm perpetuis laudibus inhiaret, ex quibus breui extincta nullum commodũ, nullam voluptatem capere poſſet? Quò magis è literatorũ cætu exterminandi videntur illi, qui Peripateticorum Principem tantis doctrinę luminibus imbutum, qui ad virtutem, felicitatemquè inſtituit hominẽ, quæ (ſi probè tantus Philoſophus intelligatur) etiàm poſt obitum perſeue-

ret,in hãc hęreſim per ſummam iniuriam detrudere non erubeſcunt.

Superiore diſputatione in Pompeianæ ad Dyrrachium victoriæ lætitia ſermonem interſecauimus, nùnc cataſtaſis dubia, cataſtrophe calamitoſa, mœſtus finis, tragicùs exitus. Si in rebus adeò perditis virtus eluxit Pompeij Magni, quemadmodũ pluribus, ijſquè valdè firmis argumentis me probaturum ſpero, deplorãda nòn videtùr ea ſors, quæ illi ſolidũ nihil ademit, tametſi vir tãtus à ſummo repentè rerum mortalium faſtigio deiectus humanis obtutibus miſer appareat, quàm maximè fieri poteſt. Quid enìm extare miſerius valet in rebus humanis, quàm victoriã, & cauſæ, & ſibi debita defraudari? exercitu, potentia, imperio ſpoliari? manu viliſſima trucidari? ipſa deniquè, quam nemini negamus, niſi ſcelerato, parricidæq́; carere oppidò ſepultura? Quid lacrymabilius, quàm detrimentum famæ acceptum? dignitas nominis imminuta? gloria rerum

geſtarum tenebris obuoluta?parta magnis laboribus laus, & decus ſupremis vitæ itineribus hebetatum ? Qua quidèm in re Pyrrhus, Annibal, Marius, Antonius fuerunt vtiq; feliciores,quam enim gloriã rebus bello præclarè geſtis adepti fuerũt,hãc & victi tueri vidẽtur.Porrò qui res æquiore trutina penſitarunt, ſecùs ac vulgò de Pompeio quoquè ſenſerunt, illudquè à fortuna decus eripi nòn putarunt, quod virtus dedit, Lucanus in primis, Martialiſquè, qui virum clariſsimum ſummis laudibus in cęlum tulerunt.Quamobrèm qui eidem tantoperè negotium faceſſunt, haùd ſanè video,quid in eo odiſſe poſſint, prætèr modeſtiam, atquè abſolutiſsimam virtutem , quid amare in Cæſare ſuper fortunam.

Quinto reprehendebatur Pompeius loco,quòd collatis ſignis in agro Pharſalico decertauerit, atquè vnius prælij arbitriò vniuerſæ Reipublicæ opes expoſuerit;non enim videbatur (inquiunt) tyro exercitus,

nouus, collectitiuſq; miles cum veteranis Cæſaris legionibus committendus, cum illud in primis ſapienti Imperatori curandum ſit, vt delectum militum habeat diligentiſſimè; non alienus locus à maritimis opibus eligendus; non citrà neceſsitatem dimicandum, cum inopia rerum omnium confecti hoſtes nullo negotio, nulla Pompeianorum ſanguinis effuſione profligari potuiſſent. Maximis hìc operibus oppugnamur, Auditores, grauiſsimis premimur difficultatibus, quæ ad tria capita reuocantur, ad genus militum, ad locum pugnæ; ad neceſsitatem dimicandi. At verò quàm minùs difficilis ex his ſcopulis ſit euaſio, ac obiectores ſibi in animum induxerunt, quamquè infirma fundamenta ſint, quibus nititur accuſatio, ſatis probè palàm me facturum confido.

Tyronem, collectitiumquè qui appellant Pompeij exercitum, bellicam ipſi diſciplinam calleant necnè, aut ſi recentiores ſunt, viderint nè eorum temporum

mo-

monumenta mihi non ſatis liquet. Agam tamèn cum ipſis liberalitèr, nequè à verbis ipſiuſmet Cæſaris hoſtis in Commentario de bello Ciuili planè diſcedam. *Erāt* (inquit ille) *in ſiniſtro cornu Pompeianæ aciei legiones duę tranſditę à Cęſare ex S. C. initio diſſenſſionis*; procul dubio veteranæ. *Mediam aciem cū legionibus Syriacis Scipio tenebat*; & hæ quoq; veteranæ. *Cilicienſis legio coniuncta cum cohortibus Hiſpanis, quas traductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ, has firmiſſimas ſe habere Pompeius exiſtimabat:* quæ vtiquè veteranæ. Cum igitùr in acie Pompeiana veteranæ legiones ſenæ verſarentur, vel ipſo Cæſare recenſente (nàm vbi Cæſar pro nobis eſt, Iuſto Lipſio, qui eidem adſtipulatur, nihil tribuimus) quis illum rudem tumultuariumquè appellet exercitum? vereaturquè copias quantumuìs innumerabiles, & pugnaciſsimas, nixus tantis opibus adoriri? Sed de cæteris videamus, tyrociniumquè huiuſmodi per partes, quæſo, dijudicemus;

quod quidèm diuidunt aduerſarij in nouos, atquè exteros milites, in adoleſcentes, atquè in nobiles, ac propterea lautos, molleſquè, & rei gerendæ minùs idoneos. Noui plures, atquè exteri milites hàud negauerim, quin in Pompeij exercitu fuerint, nàm & noui in Italia delectus habiti fuerant, & omnia Orientis regna ad eundẽ ſigna contulerant. At ea nequè firma pars ab ipſo habebatur, nequè ad ſpem victoriæ comparata, proùt profectò patebit inferiùs, cũ aciei diſpoſitionem diligentèr perſcrutabimur, ſed tanquàm ſubſidiarij, atq́, auxiliares in caſtris verſabantur, quiquè ſub veteranis militari fortitudine imbuerentur, & cum opus foret, ijſdem ſufficerẽtur. Aſsidua præterea ſub peritiſsimo Imperatore exercitatione ità profecerant, & diſciplinam hauſerant, vt tyrocinium exuiſse cumulatiſsimè viderentur; & quod plurimùm ad fiduciam conferre putabatur, Cę. ſarem haud eſſe inſuperabilem recentibus prœlijs experti fuerãt. Dionem habemus,

aliosq́;

alioſquè huius rei ſcriptores locupletiſſimos, qui nos à mendacij nota tuebuntur, atquè ad calumniam à prudentiſſimo Imperatore amoliendam nobiſcum in aciem deſcendent. Quocircà vt ità inſtituto tyroni pugnare aduersùs hoſtes in acie quo- ſlibet ex Vegetio nòn eſt formido, sèd voluptas, ſic nequè Imperatori de huiuſmodi tyronibus diffidendum.

Venio ad iuniores, atquè ab aduerſarijs audire libet, quonam ætatis anno militaria ſtudia capeſſere Romanis hominibus ſolénne eſſet? quod militiæ exordium fuerit? ni mentiri velint, ſanè pubertatem referent; ità Vegetius, ità quicumquè antiquitatis mores ad vſum poſteritatis literis tradidere, quorum inani enumeratione veſtras aures defatigàre nòn eſt neceſſe; idquè vt inſueſcere laboribus, audaciæ, ſanguini maturè inciperent; meliùs eſt enim, vti Vegetius admonuit, cauſari adoleſcentem nondùm adueniſſe pugnandi ætatem, quàm dolere præterijſſe; at pu-

pubertas annum quartumdecimum principem habet, ergò pueri, cum pueritia Varronis auctoritate ad annum quintum ſupra decimum protendatùr;ergò nullum Pompeij peccatum fuit, ſi adoleſcentes in armis habuit, cum pueros Romana ſigna haudquaquàm indignarentur, & prima tyronum ſtipēdia pubertatem nòn erubeſcerent. Quid verò probationibus indigemus ad vtilitatem, fructumquè militiæ huiuſmodi demonſtrandum, cum palàm ſit maiorem Africanum vix dum puberem periclitanti ad Ticinum patri ſuppetias tuliſſe, atq; è Pœnorum manu fortitèr eripuiſſe? Auguſtum adoleſcentem magnis exercitibus præfuiſſe, ac victoriarum plenum Rempublicam occupaſſe?Huncq; adeò Pompeium noſtrum ea ipſa ætate ciuilium bellorum tempeſtates,atquè ingētes Reipublicæ fluctus acerrimè ſuſtinuiſſe?Omitto Alexandrū,qui adoleſcens vniuerſo Orienti iugum impoſuit, aliosq; exteros, qui re bellica in ipſa pubertate

ma-

maximè claruerunt. Etenim illi ætati, quæ adoleſcentia, iuuentuteq́; continetur, cum ſanguis humorum princeps præ cæteris in homine dominetur, ineſt quædam vis cũ animi, tùm corporis militaribus experimentis magnoperè idonea, quę ignauiam, & metum depellit, iram acuit, contemptum periculorum parit, & quemadmodùm fit in vere anni tẽporum robuſtiſſimo, ſic omnia in iuuentute florent, quæcunquè ad militaria munia obeunda potiſſimùm pertinent.

De nobilibus viris grauior eſſe videtur quæſtio, militares quippè homines agreſtes eſſe, atquè alpinos Imperatorum plerique voluerunt, Marius præſertim, cui cum ferociſsimis nationibus bellum fuit. Vegetius, & Cato cum pluribus vrbanos reijciunt, ruſticos poſtulant, qui deliciarum adſuetudine minùs corrupti, effœminatiq́; ad labores magis, ac belli incommoda ſubeunda idonei videntur; neſcit quippè Vegetius, quomodò mortem ille

nòn

nòn minùs timeat, qui minus deliciarum nouit in vita. Porrò ſi nihil prohibet meá de re liberè me afferre ſententiam, tametsì clariſſimorum Virorum ſit ea opinio firmata conſenſu, nihilominùs multa occurrunt, quæ me ſecùs ſentire iubeant. Ego enìm rem ingenio magis, quàm corpore metior, & pluris metum infamiæ facio, quàm necis. Pollent quidèm viribus, & laborum tolerantia agreſtes, ac ruſtici homines; at honeſtatis, & gloriæ cupido, quæ ritè certantibus prima induitur, ipſis profectò nouiſſima eſt, quorumquè ſumma eſt auctoritas, ſumma vis, ea illis ignota nomina; vna ſtipendij, prædæquè auiditas (viliſſimarum imaginum) inardeſcit. Præterea vxores, liberos aſiduè cogitant lacrymabundi, nequè humanis affectionibus, quæ, niſi adſit virtus, deijciunt animos, præeſſe valent. Abeſt quinetiàm ratio quædam, & docilitas, quibus deſtituti cæteris diutiſsimè impedimẽto ſunt, nequè diſciplinam ebibunt, niſi

ſe-

ſerò. Ciuium ingenia longè ſecùs; quò quiſquè anteit nobilitatè, educationequè, eò gloriæ appetentior, animo promptior, fortiorquè, cum fortitudo animi firmitudine, non corporis viribus contineatur; innataq́; nobilibus virtus videtur domum, parentes, vxores, liberos, omnemquè fructum, atque vtilitatem propriæ laudi, & patriæ commodo poſthabere. Nam quod aiunt de laboribus ferendis, dequè æſtu, frigore, inedia, vigiliaquè tolerandis, perquàm facilè refellitur; nihil enim tàm arduum, durumq́; eſt, quod virtute dictante, vſu, & conſuetudine opitulante non aſſequamur; cumquè animus potior ſit hominis pars, penès quem in controuerſiam cadere poſsit, quin faciliùs fortis animus tenuem corporis habitum confirmare valeat, quàm degener, & ignaua mens à robuſto corpore vim accipere? Othò quidèm luxu, delicijs, libidinibus perpetuò aſſuetus, cum Imperium malis artibus occupaſſet, ingruente Vitelliani belli neceſ-

ceſsitate vniuerſa incommoda à viro præclaro tolerantèr ſuſtineri, vniuerſos labores exantlari poſſe docuit exemplo. Cæſar omnibus primùm viris fœmina, omnibus fœminis vir,& prę mollitie laciniá trahens, poſtquàm ad Rempublicam ſe contulit, patiens ſuprà hominum æſtimationem, ac fidem, & nunquam feſſus omnia munia cumulatè expleuit cùm Imperatoris, tùm militis; Alexandræi exercitus robur ex illuſtribus vt plurimùm conſtabat viris. Lacædemoniorum glorioſa militia ſpectatos genere deligebat: Thebanarum opum vis è trecentorum iuuenum natalibus clarorum globo tota pendebat; nihilquè videtur vnquàm magnificè, glorioſequè factitatum, quod vel ab honeſtis, & nobilibus viris geſtum nòn fuerit, vel illuſtres, & claros homines auctores, atquè auſpices nòn habuerit. Quid verò è vetuſtatis annalibus ad noſtram ſententiam confirmandam exemplorum auxilia petamus, cum duo in primis illuſtria,maxima,ampliſ-

pliſ-

pliſsima noſtra ætate ſub oculos cadant? Quis enim Hieroſolymitanam militiam, & D. Stephano Pontifici Maximo dicatū delectum nòn admiretur? qui cum ità inſtituti ſint, vt in ijs requiratur claritas generis neceſſariò, nòn modò in laboribus, & periculis obeundis propterea ſegnes haud quaquàm habentur, verùm ex eo potiſsimùm ſuæ virtutis ſomitem, ſuæ fortitudinis præſidium deriuant; vulgoquè iampridèm fertur quaſi prouerbio, homines nobiles honeſtatis, & gloriæ cauſa pugnātes rei deeſſe minimè poſſe. Itaquè quot piratarum claſſes diſcerpant, quot barbararum gentium littora, & munitiones exagitent, quantas prædas ex hoſtibus auehāt, cum in conſpectu identidèm ſint, nòn eſt opus ſermonibus explicare. Adſtipulare videtur noſtræ ſententiæ Seneca de Conſtantia. *Quò quiſquè honeſtior genere, fama, patrimonio eſt, hoc ſe fortiùs gerat, memor in prima acie altos ordines ſtare.* Quibus ex verbis exploratum eſt

ho-

honeſtiſsimum quemq; nòn modò aptiſsimum bello iudicatum, sèd in fronte quoquè pugnare ſolitum ( qui mos ab illuſtribus viris noſtris quoq; temporibus vſurpatur) vt multitudo, agreſteſquè copiæ fortiores fierent, atquè eorum exemplo commouerentur, è quorum numero Imperatores deligebantur; quantus enim ſtimulus eſt ad rem fortitèr gerendam, ſi viri principes prima vulnera nòn deuitent? quàmq; potior ille exercitus, qui è multis Imperatoribus conſtabit, quàm qui è multis militibus congeretur? Quod nòn idcircò dictum velim, vt agreſtes excludendos omninò cenſeam, sèd vt cum agreſtibus, & duris hominibus viros nobiles in militaria ſtudia egregiè cōueniſſe demonſtrem. Ex his intuemini, ſi placet, Auditores, quàm contumeliosè, immerenterq; improbetur Pompeius noſter, quòd militiam nobilem apud ſe habuerit, quem potiùs ex eo laudari æquiſsimū fuerat. Quod ſi delicatum propterea appellant Pompeij

exer-

exercitum, Cæſaris autèm citrà delicias, meminerint aduerſarij pleroſquè eſſe, qui moderatè, qui ſeuerè vitam ducunt, nòn ex virtute, temperantiaquè, verùm ex neceſsitate, atque inopia rerum. Cæterùm data copia quotus quiſquè eſt, qui commodis, & voluptate nòn delectetur? Quid profectò factum ſit ab Cæſarianis poſt victoriam vel infimæ conditionis militibus, neminem latet, nòn enim deficiam commemorando, quæ de Antonio, de Dolabella, de Mamurra prodigia feruntur, quẽ poſtremum Catullus ciuis meus tantis cõuitijs exagitauit, vt eius vnius cauſa deteſtandum cenſeret ciuile bellum, cum manubiarum quicquid ex bellis Gallicis, Ponticis, Africanis, Hiſpanis Romam delatum fuerat, huius luxu, & libidinibus exhauriretur. Vrgebunt adhùc, & cum laudauerim Pompeij milites, in me ipſum argumentum retorquebunt, eòq; minus excuſabilem Magnum inquient, quò meliore inſtructus exercitu iacturam fecit.

At

At hæc in alium referenda quæſtio videtur locum. Nùnc quanta cum iniuria ad genus militum detrimentum referant, quamquè ex delectu nullum crimen Pōpeij fuerit, ſatìs ſit breuitèr aperuiſſe.

Tranſeo ad locū; qua quidèm in quæſtione Magnum noſtrum aduerſarij acerrimè vulnerant, quaſi callidum Cæſaris conſilium minimè viderit, id potiſſimùm conantis, vt hoſtem, quàm remotiſſimè fieri poſſet, à maritimis auxilijs abduceret. Imò verò cum Cæſar terreſtrium copiarū virtute præſtaret, Pompeius maritimis opibus antecelleret, ſtatum belli affirmāt à Pompeio fuiſſe commutandum, atquè omiſſo priore inſtituto, rem ad nauale experimentum oppidò transferendam. Ità factum priùs à Themiſtocle aduerſus Xerſem, ità deindè contra Octauium ab Antonio eò ſolùm victo, quòd vinci voluit. Hæc ſumma eſt argumentorum, quæ ab oppugnatoribus afferuntur, quibus quidèm facilè reſponderi poſſe puto, ſi earum

re-

rerum ſtatus quonam ſe haberet modo, memoria repetiuerimus. Pompeius hinc continente, indè oris maritimis occupatis in eam difficultatem exercitum Cæſaris adduxerat, vt illi neq; cómeatuum, neq; pabulandi copia fieret. Quæ res cum Cæſarem affligeret vehementèr, in eo totus erat, vt effugium ſibi è tantis incommodis aperiret. Propterea crebra ſuſcipere itinera, mutare caſtra, omnem exitum explorare. Doceant, ſi libet, aduerſarij, quid Pompeio agendum foret; aut certè dimicandum, qua de re in proximo capite diſceptabimus, aut ſi cunctaretur, nequè abeuntem perſequeretur, neutiquàm video, qua ratione prohibere potuiſſet, quominùs hoſtis euaderet, vbertatem rerum pararet, prouincias iniret, vectigales, ſocioſquè Po. Ro. in ſuas partes traduceret, quorum plerique, cum res eſſet inter ciues, vtri fauerent nihil penſi habebant. Cum præterea Scipionis exercitus cum legionibus Syriacis ex Aſia

aduentaret non contemnendus obuium procùl dubio Cæſarem habiturus, ſi ſolus Scipio impar opibus congrederetur, actum de Republica planè fuiſſet. Pompeio igitùr curandum ſedulò, vt ſocero occurreret, copiæquè ad robur partium confirmandum vtriuſquè coniungerentur. Nàm quod ſubijciunt, ad nauales congreſſus, & maritima experimenta Pompeium ſe conferre debuiſſe, elegantèr illud quidèm, quaſi ageretur de certamine ſingulari cũ optione loci propoſito, atquè inſtituto. Sèd ne hoc quidèm negemus accuſatoribus, dummodò grauiſſima nobis refellant incommoda, quæ ineuitabilitèr imminebant. Quis enìm dubitet, quìn continuò Cæſar omnes terras occupaſſet? omnes portus inuaſiſſet? omnia littora infeſta hoſti reddidiſſet? In mari nec ſationi, nec meſſi locus; nulla Imperij ſedes firma; vaga, egenaq́; dominatio, qua faciliùs quiſquam ab eo ſpoliatur, qui terras obtineat, quàm terreſtres ipſes opes ſuæ poteſtatis

faciat. Cæſarinè verò tantis viribus, clienteliſq; latè pollenti adornandæ claſſis modus, atquè hoſtis terra, mariquè confli-ctandi defuiſſet? Prętereà cui ſanæ mentis videatur, deſperatione terrarum induta, arbitrio ventorum, & fluctuum rem Romanam fuiſſe committendã? An Pompeio in aquis fortuna parcere debuiſſet? an ipſius Legatis eliſas tempeſtatibus naues, conuulſam claſſem imminente victoria minimè fudit, & Cæſari vel in pelago nòn militauit? Quantùm deniquè ad famam intererat Pompeium Magnum Reipublicæ Imperatorem, ac Vindicem, à quo iàm triumphi claritudinem, celebritatemquè accipere videbãtur, in quo ſpes omnes ſitæ erant, à rebus terreſtribus nòn abeſſe? nequè Piratarum more per incerta mariũ vagari? Quantùm ad Regum beneuolentiam conſeruandam, & ſociorum fidem? Themiſtoclis, Antonij diuerſus rerum ſtatus; coactus ille, amans hic, aut certè amens, maritimis conſilijs adhæſerunt.

Igitùr Pharſalicos agros haùd delegit vltrò Pompeius, sèd oblatos nòn recuſauit, nequè adeò inopportunos, cum nòn ità procùl abeſſent à mari, ſubſidioquè claſſium, cum ſolum fertile, & pabulatui commodum continerent, cum Enipeo flumine interfluēte familiaritèr aquationibus vterentur.

Conſilium tandèm conſerandarū manuum collatis ſignis ex neceſſitate captum fuerit necnè, ſupereſt diſputandum, quam quidèm neceſſitatem, ſi ex parte Cæſarianorum metiri velimus, ità vt eò deductus ipſorum induſtria Pompeius fuerit, vt ſi ſaluam Rempublicam, ſuamquè dignitatem vellet, neceſſariò ſibi confligendum eſſet, nihil ab accuſatoribus fortaſsè diſſentio; poterat enìm ſaltèm aliquandiù Pompeius ſine pugna perſequi Cæſarem, nequè illi tutum vſquàm relinquere conſiſtendi locum; poterat adhùc fallere, exercitum pro caſtris, vt aliquandò fecerat, in ſpeciem locare, leuibus ad retinendam

fa-

famam, aſsiduaquè inferenda detrimenta velitationibus hoſtem diſtinere, ac deminuere; ſatiſquè proſpectum, atquè exploratum eſt mihi hanc certiſſimam fuiſſe rationem Cæſaris profligandi. Sin ex parte Pompeianorum accipiamus neceſſitatem, tùm verò prælium à Pompeio deuitari, aut ægrè, aut nullo modo potuiſſe omnes Hiſtorici probè conſentiunt; affirmant enim ſedulò ab eo præuiſum quid rei expediret, propoſitumquè, cum incruenta victoria potiri poſſet, aleam pugnæ non experiri, atquè hoſtem commeatus anguſtijs attenuatum delere, ſed hortationibus primùm, dein conuicijs etiàm, maledictis, & criminationibus virorum principum expugnatum eò ad calumniam propulſandam animum deniq; contuliſſe, vndè magnoperè abfuiſſet, ſi ſuoprè ingenio vti ſibi licere putauiſſet. Nàm quem non commouiſſet illa vox cũ ad inuidiam Agamemnon appellaretur? cum ád retinendam potentiam bellum

protrahere diceretur? cum is, qui in eo vno ſemper totus fuerat, vt ſe à Tyrannide alienum probaret, quiquè aduersùs Tyrannidem arma ſuſceperat, Tyrannidem quærere vulgaretur? Cùr Fauonium præteribo, qui ne Tuſculanas eo anno ficus amitteret, quietum diutiùs manere Pompeium ferre non poterat? Cùr Afranium, qui Hiſpanas vendidiſſe Cæſari legiones inſimulatus, ad calumniam amouendam magnoperè querebatur, quarè tandiù differretur nouum offerri negotiũ ei negotiatori, qui adeò vtilitèr rem ſuam curare calluiſſet? Cato ipſe, cuius ſententia oraculi vim habere videbatur, de minuendo Pompeio, proùt alibi memorauimus, abrogandoquè, quo iamdiù delectari videbatur, imperio, palàm diſſeruit, nequè facilè explicari poteſt, quanti ſit momenti in magnis animis rumor aduerſus, cum vel ipſe Cæſar confirmato principatu alioquì validus ſpernẽdis rumoribus, cùm maledictis inceſſeretur, animum vſque-

adeò

adeò deſponderit ſuum, vt eum, Suetonio auctore, tæderet vitæ, paratumquè ſe ad offerendum ferientibus iugulum profiteretur? In huiuſmodi difficultatem, niſi potiùs dixerim neceſſitatem coniectus ſapiẽtiſsimus Imperator noſtrarum partium, haud tamèn vocum duntaxàt, ſed rerum etiàm ſibi habendam eſſe rationem exiſtimauit, atquè idcircò obtemperauit, quia dimicandi non incommodam ſibi occaſionem oblatam eſſe iudicauit. Nàm cum bono Imperatori omnia ſuis opportuna, hoſtibus aliena quærenda ſint, tùm Pompeio vniuerſa in ſpeciem ſaltèm opportuniſsima, Cæſari alieniſsima fortuna obiecerat, quò certiùs falleret: etenim Cæſariani milites ingenti accepto nupèr detrimento valdè perculſi, atquè ancipitibus curis turbati, facilè ſuperari poſſe videbantur; Põpeiani recentis victoriæ memoria elati, flagrantes, alacresq́; ſperanda omnia vel ipſo vultu pollicebantur; Cæſarianis terra, mariquè frumentatione, quemàd-

modùm diximus, interclusis, pluriumq́; dierum inedia atttenuatis deeſſe vires, roburquè natura dictante erat oppidò exiſtimandum; Pompeianis cum omnia largè, cumulateq́; ſuppeterent, integri omnes ad conſerendas manus accedebant; cumquè Cæſar, vt è multis difficultatibus, atq́; annonæ penuria euaderet, de profectione iamdiù cogitans vaſa colligeret, Pompeio non videbatur committendum, vt cunctatione, ignauiaquè amitteret quod induſtria, ſolertiaquè comparauerat, nè recreatus, refectuſquè hoſtis grauius ſibi negotium faceſſeret. Addo ardorem militum flagitantium pugnam occaſione inſpecta; nòn enim, vel ipſo auctore, doctoreque Cæſare, alacritas illa, atquè impetus animorum, qui vt plurimùm diuinitùs præſagium quaſi quoddam victoriæ promanat, videtur in prçliantibus inhibendus. Cæterùm ſi quis exiſtimet Cæſarem penitùs ſine pugna, sèd ſola inopia commeatuum infirmari, ſuperariquè ignauiſsimè

po-

potuiſſe, is malè hominem perſpectum habet, qui omnia experiri vtiquè maluiſſet, quàm turpitèr inedia perire. Igitùr ſi pugnandum, eo præſertìm tempore pugnandum erat; quo infirmior Cęſar, Pompeius firmior eſſe videbantur.

Hìc autèm nìhil immorandum eſt nobis, Auditores; iàm è caſtris legiones erũpunt minitabundæ, Imperatores aciem inſtruunt, atquè omiſſo profectionis conſilio, flagrantiſſimè in prælium deſcendunt. Qua quidèm in re nòn deeſt quod improbent, cauillenturquè reprehenſores; negant enim aciem (quæ ſexta eſt oppugnationis vis) nauitèr, & conſultè à Pompeio fuiſſe diſpoſitam, qui omnem fiduciam in eiuſmodi militibus, quorum de habitu, & diſciplina ſuperior quæſtio fuit, planè poſuerit, nihilquè extrà aciem ad omnem euentum in ſubſidio habuerit. At quanta cum iniuria indicta cauſa condemnatur Pompeius noſter, tantumdèm mihi, vt ſpero, facilè, meritòquè defen-

den-

dendus ſuſcipitur, quam nimirùm ad rem nuperrimè profligata diſputatio mihi viá ſtrauit latiſsimam. Iàm qua ſuam ille inſtruxit aciem, ex ipſius inimici Commentarijs rationem attulimus diligentèr, nequè repetere neceſſe eſt. Eandem ferè Plutarchus recenſet. Iulius tamèn Frontinus illam explicat oppidò luculentiùs, atquè ità in conſpectu locare videtur, vt nihil addi poſsit; quam poſtquàm recitauerimus, in hac parte peroratum egregiè cenſeo. *Cn. Pompeius* (inquit ille) *aduerſùs C. Cæſarem Paleopharſali triplicem inſtruxit aciem, quarum ſingulæ denos ordines haberent in latitudinem*, ſiue vti vetetur Lipſius, *quarum ſingulæ millenos ordines haberent in altitudinem; legiones ſecundùm virtutem vniuſcuiuſquè firmiſſimas in cornibus. & in medio collocauit, ſpatia his interpoſita tyronibus ſuppleuit, dextero latere ſexcentos equites proptèr flumen Enipeum, quod & alueo ſuo, & alluuie regionē impedierat, reliquum equitatum in ſiniſtro cornu*

*cum*

*cum auxilijs omnibus collocauerat, vt indè Iulianum exercitum circuiret.* Qua quidèm in re, ſi Vegetij, Æliani, Polybij, & veterum cuiuſuis militaris viri præcepta conſulamus, nequè prudentiùs, neq; firmiùs aciem inſtrui potuiſſe profectò comperiemus, faterique neceſſe erit, huiuſmodi ordini nihil deſiderari potuiſſe pratèr fortunam. Erat acies triplex, vt media à cornibus tegeretur, nequè facilè detrimentum capere poſſet; ſi alterutrùm cornu inclinaret, ab acie media ſuſtineretur; cumquè è pluribus quælibet legionibus conſtaret acies, adeò in profunditatem ſingulæ extendebantur, & tot cohortibus muniebatur à tergò agmen, vt ſi primi pellerentur, à ſequentibus prælium commodè exciperetur, nec modò extremi, qui diù ſecuri conſtitiſſent, sèd medij quoq; in ſubſidio detenti viderentur, cum ad eos peruenire pugna minimè poſſet, niſi cæteris profligatis. Quo numero Cæſar cum careret, fuerunt illi neceſſario ſex cohortes

tes extrà aciem in ſubſidio habendæ, atq; explicandæ legiones latiùs. Dextrum latus flumine, & parte equitum tenebatur, ſiniſtrum ampliſsimo equitatu, atquè auxilijs omnibus muniebatur. Quapropter cum ſic acies inſtructa eſſet, vt in legionibus ſanè veteranis tota vis foret, quas ſe habere firmiſsimas, teſte Cæſare, Pompeius exiſtimabat, haùd ſatìs ſcio, quo ducti ſpiritu reprehenſores de conſtitutione obijciant minùs idonea, aſſerantquè tyronibus, imbecilliſque militibus Pompeium maximè confidiſſe, quos cum ád ſupplenda ſpatia interpoſita legionibus adhibuerit, ne iuſtam quidèm aciei partem eſſe voluit; & profectò erratum fuiſſet Pompeij maximum, ſi quod quicumquè infimi duces ſolebant, vt Vegetius eſt auctor, qui legionibus auxilia ità in acie iungi ſolita fuiſſe ſcribit, vt in his præliandi magis adminiculum, quàm præcipua vis ſtatueretur, tantus Imperator in ſummo periculo neglexiſſet. De fronte, quam fortiſ-

tiſsimi quiquè tenere debuiſſent, difficiliorem facere videtur quęſtionem Seneca, qui Senatum in epiſtolis in fronte fuiſſe diſertè memorauit. At quid in eo peccauit Imperator, ſi cum fortiſsimi legionum frontem tuerentur, iuxta eoſdem aliqui viri principes ſtudio libertatis, charitate in patriam, atquè omninò voluntarij eidem ſe periculo expoſuerunt? Sèd videamus, qui viri quæſo; dicat Eutropius. *Prætorij, Conſulares, & qui magnorum populorum quondàm victores fuiſſent.* At hi haùd rogandi potiùs videantur? Quod ſi vrgeant de equitatu, quo circuire Iulianum exercitum deſtinauerat, quem ſatis conſtat ex nouis, infirmiſquè delectibus vt plurimùm fuiſſe conflatum, ego verò ità iudico, & fortiſsimum quemquè in fronte ſtetiſſe, nequè Pompeium ità nixum equitatui, vt ſummam rerum in eo locauerit, sèd cum ſpes à legionibus, veteraniſquè militibus tota penderet, ea ratione, & loco habitum, vt ipſius opera

cùm

cùm faciliorem, tùm abſolutam victoriam conſequeretur. Optimum itaquè conſilium, ſolertiſsimam diſpoſitionem, ſi peſſimus euentus eſt conſecutus, at ſatis nobis, ſuperquè eſt Pompeium ſua culpa detrimentum non accepiſſe.

Huic prauæ aciei conſtitutioni, vt obijcientium more loquar, grauiſsimum aliud acceſsiſſe peccatum Pompeij inquiunt, qui militem in medio curſu conſiſtere iuſſerit, nequè ad hoſtem venire permiſerit, illam alacritatem, atquè impetum frangens, quibus, cum natura cunctis innati ſint, vnuſquiſq; principio rapitur in aduerſarium; eſtq; in hoc Cæſar valdè multus. Verum enim verò animaduertite, ſi placet Auditores, quomodò ille omnia tentamenta experiatur, vt ſuam belli peritiam amplificet, Pompeij minuat; etenim adeò certa, conſtanſquè eſt Pompeiani conſilij ratio, vt natura ipſa magiſtra, qua nihil induſtrius, conſultiuſquè fieri poteſt, ducta fuiſſe videatur. Cæſarianos quippe mi-

milites diuturna inedia debilitatos, ſi geminato quoquè curſu deſcenſionis, aſcenſioniſquè fatigarentur, laſsitudine citiùs, quàm ferro exanimari debuiſſe quis nòn videt? niſi præter fortunam, natura quoquè Cæſari vnanimi coniuratione militaſſet? Pompeianos verò integros de ſuperiore loco (quod Imperatoribus Frontinus, & Vegetius commendant) pila iacturos, dimicaturoſquè vehementiùs? Cæſarem in tanta rerum felicitate medius fidiùs memoria fefellit; nòn enim ipſi in mentem venit, quid Virginius Conſul fecerit contrà Volſcos, qui Liuianis teſtibus monumentis, nèc promouit aciem, nec clamorem reddi paſſus defixis pilis ſtare ſuos iuſſit, mòx hoſtes curſu anhelantes integris ſuorum viribus aggreſſus fudit egregiè. Aſcanius etiàm Corneus noſtra ferè tempeſtate vir bellicarum artium peritiſsimus huiuſmodi Pompeij conſilium aliquandò probauit. Meliten Inſulam, quæ ab Hieroſolymitanæ militiæ equitibus, vt notum

om-

omnibus,fortitèr,& glorioſè tenetur,Turcarum exercitus innumerabilis oppugnabat; iàmquè littoribus, atquè agris crudelitèr occupatis ipſi regiæ vrbi imminebat,& muros diruere, turreſquè cœperat. Implorata ab Equitibus auxilia Principum ad octo peditum millia Sicula claſſe prȩſtò fuerunt; in aduerſam Inſulæ partem, atq; ab hoſtibus inobſeruatam noctu importuoſo, sèd idoneo ſatis littore deſcenderunt, terraquè iter ad oppidum inſtituerunt. Turcæ, animaduerſo ſubſidio, pluſquàm geminato militum numero occurrerunt. Occupauerant collem noſtri. Imperantium plerique ſuadebant, vti ad hoſtem decurreretur. Corneus, vt ſe iugo, & munitionibus continerent, Turcamq; longo itinere fatigatum, quò virium robore tantis copijs pares fierent, ſapientèr hortari nòn deſtitit. Vicit quidèm prior ſententia, nec potuit ardor militum diuinitùs inditus cohiberi, tamèn nequè ſinè periculo res fuit, nequè exitum meo iu-
di-

dicio commodum nacta foret, niſi & cum barbaris, atquè imperitis hominibus pugnari contigiſſet, & cauſa Numinis ageretur. Fuit igitùr maturitas, fuit exemplum conſilio Pompeij noſtri, fuerunt qui imitatione dignum cenſerent, nequè vel ipſius Cæſaris teſtimonio quicquam incommodi ex eo exortum Pompeianis legionibus, quæ acerrimè dimicarunt, ſibiquè minimè defuerunt, donèc à cohortibus Iulianis, quæ quietæ in loco fuerant, initium cladis factum eſt.

Iàm à portu proximè abſumus, Academici; vtinàm quam longiſsimè; cataſtrophe fabulæ eſt, exitu vſqueadeò tragico, vt lacrymas ab ipſis quoquè excutiat hoſtibus. Varia diù, & dubia fortuna certatum eſt: at equitatus ille ampliſsimus, in quo tantæ opes, & valida ſociorum auxilia ſita fuerant, à quo cingenda erat Cæſaris acies, cui omnium rerum conſenſione victoriæ pars magna debebatur, terroribus quaſi panicis correpta fruſtratur Im-

peratorem, ac per ſummam ignominiam ſugatur, & pellitur. Coguntur alis nudata legionum latera loco cedere, atquè internecione, quiqui obſtant, miſerabili trucidantur; caſtra expugnantur, omnia vaſtitate, ſtrage, ſanguine polluũtur. Hercules victor teſſera Pompeianis militibus datus, victrici Cæſaris Veneri, mas bellaciſſimus molli fœminæ (quis putaret?) indignè, & nefariè ſuccumbit. Pompeius ipſe nùnc primò attritus Pompeium fugiẽtem miratur, & ſuomèt perditus beneficio ab hoſpite proditur, & ſeruorum pudenda manu tantus vir ſceleratiſsimè tranſuerberatur, obtruncatur. O fatales Pompeio ſempèr Romani exules; bis ille cladem accepit in vita; quod in Hiſpania inchoauit Sertorius, in Teſſalia perfecit Cæſar. Ne quæſo, accuſatores, in tanta, tamquè inaudita calamitate adijcere afflictis dolorem velitis, parcite demùm, ceſſate à contumelia, nec cum fortuna vos quoq; coniurate. Ipſi nihilominùs toto conatu hoc

po-

potiſsimùm loco vires exerunt, vocem, attollunt, atquè acerrimè in calamitoſum hominem inuehuntur. Plutarchus præ cæteris, & Dion adeò vrgent, vt ne Cicero quidèm tantis orationis aculeis, ſeù Catilinæ flagitium fuerit, ſeù Antonij Tyrannidem perſecutus. Erat ſeptima, nouiſsimaquè obiectationum Pompeium inclinata iàm re, & cauſæ, & ſibi turpitèr defuiſſe, cum reuocare fugientes, reſtituere aciem, reparare prælium debuiſſet, aut ſaltèm collectis conſtantèr reliquijs, & cum claſſe, Dyrrachiniſque cohortibus coniunctis denuò experiri fortunam partium; nòn enìm idem vniuerſorum præliorum eſt exitus; re hodiè male geſta qui abierit, quin cras poſsit benè gerere, nòn eſt deſperandum. Eius deniquè fuiſſe dicunt colligere animum ex infortunio, ac ſe in mentem reuocare Pompeium eſſe. Eheu Pompei Magni, fortunæ lacrymabile experimentum, cum omnia ex voto procedebant, cum ciuitatem, cum prouincias ab

hoſtibus liberabas, cum Imperium Populi Romani ad extremos terræ limites propagabas, nemini de te quicquam venit in mentem, niſi honorificum, glorioſum, diuinum; poſtquàm mutata eſt rerum alea (ità cum fortuna corrumpuntur mortalium animi) imprudens, ſegnis, ignauus, & ſi quid deterius cenſeri poteſt, tu illud audis; quæquè tùm anteà, tùm eadem in re fortuna in vnum coire fecit incommoda, hæc peccaſti; horum omnium reus es. Niſi nùnc mihi demùm ſuppedites, quid reſpondere ad propulſandam contumeliam poſſim, quàm vereor, ne cauſa cadere neceſſe ſit. Tamèn quicquid tonent aduerſarij, ego vt nunquàm in eam ſententiam adduci potui, vt putarem à Pompeio factum quicquam, quod Pompeio indignum foret, ità probationibus conabor meum propoſitum confirmare: nàm qui aut metum in eum Imperatorem cadere potuiſſe fortaſsè putat, qui tot anteà vrgentibus bellis, tot oblatis periculis

nun-

nunquàm metuerat, aut imperitiam notare audeat, haùd rectè æſtimat, atquè ab iniuria minimè abeſt. Cauillatus eſt quidèm Cæſar, & perſtrinxit acerbè Pompeium, cùm, Pharnace ſuperato, beatum illum conclamauit, qui ab huiuſmodi victoria pecudum Magni cognomentum ſortitus fuerit: quaſi verò Mithridates idem eſſet, qui Pharnaces fuit, vel vſquè ad ciuile cum Cęſare bellum aduersùs pecudes duntaxàt armorum periculum Pompeius fecerit, nequè in Italia, Hiſpania, & Aquilonaribus regionibus contra ferociſſimas nationes, Romanoſquè ipſos ea ſæpè Pōpeius geſſerit, quæ ſatìs, ſuperquè Cæſarianæ vocis calumniam confutent. Porrò ſi Orientis regna, nòn ſtrenuos milites, sèd viliſſimas pecudes educant, cùr tantoperè Macedonem cōmendamus? cùr magnum appellamus, qui aliam gloriam nactus eſt nullam, niſi quam victis Aſiæ populis eſt conſecutus? Cùr diſputet Romanæ hiſtoriæ princeps Liuius? cùr Paruta vir clariſ-

modùm diximus, intercluſis, pluriumq́; dierum inedia attenuatis deeſſe vires, roburquè natura dictante erat oppidò exiſtimandum; Pompeianis cum omnia largè, cumulateq́; ſuppeterent, integri omnes ad conſerendas manus accedebant; cumquè Cæſar, vt è multis difficultatibus, atq́; annonæ penuria euaderet, de profectione iamdiù cogitans vaſa colligeret, Pompeio non videbatur committendum, vt cunctatione, ignauiaquè amitteret quod induſtria, ſolertiaquè comparauerat, ne recreatus, refectuſquè hoſtis grauius ſibi negotium faceſſeret. Addo ardorem militum flagitantium pugnam occaſione inſpecta; non enim, vel ipſo auctore, doctorequè Cæſare, alacritas illa, atquè impetus animorum, qui vt plurimùm diuinitùs præſagium quaſi quoddam victoriæ promanat, videtur in prçliantibus inhibendus. Cæterùm ſi quis exiſtimet Cæſarem penitùs ſine pugna, sèd ſola inopia commeatuum infirmari, ſuperariquè ignauiſsimè

po-

potuiſſe, is malè hominem perſpectum habet, qui omnia experiri vtiquè maluiſſet, quàm turpitèr inedia perire. Igitùr ſi pugnandum, eo præſertìm tempore pugnandum erat; quo infirmior Cęſar, Pompeius firmior eſſe videbantur.

Hìc autèm nihil immorandum eſt nobis, Auditores; iàm è caſtris legiones erũpunt minitabundæ, Imperatores aciem inſtruunt, atquè omiſſo profectionis conſilio, flagrantiſſimè in prælium deſcendunt. Qua quidèm in re nòn deeſt quod improbent, cauillenturquè reprehenſores; negant enim aciem (quæ ſexta eſt oppugnationis vis) nauitèr, & conſultè à Pompeio fuiſſe diſpoſitam, qui omnem fiduciam in eiuſmodi militibus, quorum de habitu, & diſciplina ſuperior quæſtio fuit, planè poſuerit, nihilquè extrà aciem ad omnem euentum in ſubſidio habuerit. At quanta cum iniuria indicta cauſa condemnatur Pompeius noſter, tantumdèm mihi, vt ſpero, facilè, meritòquè defen-

den-

dendus ſuſcipitur, quam nimirùm ad rem nuperrimè profligata diſputatio mihi viã ſtrauit latiſsimam. Iàm qua ſuam ille inſtruxit aciem, ex ipſius inimici Commentarijs rationem attulimus diligentèr, nequè repetere neceſſe eſt. Eandem ferè Plutarchus recenſet. Iulius tamèn Frontinus illam explicat oppidò luculentiùs, atquè ità in conſpectu locare videtur, vt nihil addi poſsit; quam poſtquàm recitauerimus, in hac parte peroratum egregiè cenſeo. *Cn. Pompeius* (inquit ille) *aduerſùs C. Cæſarem Paleopharſali triplicem inſtruxit aciem, quarum ſingulæ denos ordines haberent in latitudinem*, ſiue vti veretur Lipſius, *quarum ſingulæ millenos ordines haberent in altitudinem; legiones ſecundùm virtutem vniuſcuiuſquè firmiſſimas in cornibus. & in medio collocauit, ſpatia his interpoſita tyronibus ſuppleuit, dextero latere ſexcentos equites proptèr flumen Enipeum, quod & alueo ſuo, & alluuie regionẽ impedierat, reliquum equitatum in ſiniſtro cornu*

*cum*

*cum auxilijs omnibus collocauerat, vt indè Iulianum exercitum circuiret.* Qua quidèm in re, ſi Vegetij, Æliani, Polybij, & veterum cuiuſuis militaris viri præcepta conſulamus, nequè prudentiùs, neq; firmiùs aciem inſtrui potuiſſe profectò comperiemus, fateriquè neceſſe erit, huiuſmodi ordini nihil deſiderari potuiſſe pratèr fortunam. Erat acies triplex, vt media à cornibus tegeretur, nequè facilè detrimentum capere poſſet; ſi alterutrùm cornu inclinaret, ab acie media ſuſtineretur; cumquè è pluribus quælibet legionibus conſtaret acies, adeò in profunditatem ſingulæ extendebantur, & tot cohortibus muniebatur à tergò agmen, vt ſi primi pellerentur, à ſequentibus prælium commodè exciperetur, nec modò extremi, qui diù ſecuri conſtitiſſent, sèd medij quoq; in ſubſidio detenti viderentur, cum ad eos peruenire pugna minimè poſſet, niſi cæteris profligatis. Quo numero Cæſar cum careret, fuerunt illi neceſſario ſex cohortes

tes extrà aciem in ſubſidio habendæ, atq; explicandæ legiones latiùs. Dextrum latus flumine, & parte equitum tenebatur, ſiniſtrum ampliſsimo equitatu, atquè auxilijs omnibus muniebatur. Quapropter cum sìc acies inſtructa eſſet, vt in legionibus ſanè veteranis tota vis foret, quas ſe habere firmiſsimas, teſte Cæſare, Pompeius exiſtimabat, haùd ſatìs ſcio, quo ducti ſpiritu reprehenſores de conſtitutione obijciant minùs idonea, aſſerantquè tyronibus, imbecilliſque militibus Pompeium maximè confidiſſe, quos cum ad ſupplenda ſpatia interpoſita legionibus adhibuerit, ne iuſtam quidèm aciei partem eſſe voluit; & profectò erratum fuiſſet Pompeij maximum, ſi quod quicumquè infimi duces ſolebant, vt Vegetius eſt auctor, qui legionibus auxilia ità in acie iungi ſolita fuiſſe ſcribit, vt in his præliandi magis adminiculum, quàm præcipua vis ſtatueretur, tantus Imperator in ſummo periculo neglexiſſet. De fronte, quam fortiſ-

tiſsimi quiquè tenere debuiſſent, diffici-
liorem facere videtur quęſtionem Seneca,
qui Senatum in epiſtolis in fronte fuiſſe
diſertè memorauit. At quid in eo pecca-
uit Imperator, ſi cum fortiſsimi legionum
frontem tuerentur, iuxta eoſdem aliqui
viri principes ſtudio libertatis, charitate
in patriam, atquè omninò voluntarij ei-
dem ſe periculo expoſuerunt? Sèd videa-
mus, qui viri quæſo; dicat Eutropius. *Prætorij, Conſulares, & qui magnorum populorum quondàm victores fuiſſent.* At hi
haùd rogandi potiùs videantur? Quod
ſi vrgeant de equitatu, quo circuire Iulia-
num exercitum deſtinauerat, quem ſatis
conſtat ex nouis, infirmiſquè delectibus
vt plurimùm fuiſſe conflatum, ego verò
ità iudico, & fortiſsimum quemquè in
fronte ſtetiſſe, nequè Pompeium ità ni-
xum equitatui, vt ſummam rerum in eo
locauerit, sèd cum ſpes à legionibus, ve-
teraniſquè militibus tota penderet, ea ra-
tione, & loco habitum, vt ipſius opera
cùm

cùm faciliorem, tùm abſolutam victoriam conſequeretur. Optimum itaquè conſilium, ſolertiſsimam diſpoſitionem, ſi peſſimus euentus eſt conſecutus, at ſatis nobis, ſuperquè eſt Pompeium ſua culpa detrimentum non accepiſſe.

Huic prauæ aciei conſtitutioni, vt obijcientium more loquar, grauiſsimum aliud acceſsiſſe peccatum Pompeij inquiunt, qui militem in medio curſu conſiſtere iuſſerit, nequè ad hoſtem venire permiſerit, illam alacritatem, atquè impetum frangens, quibus, cum natura cunctis innati ſint, vnuſquiſq; principio rapitur in aduerſarium; eſtq; in hoc Cæſar valdè multus. Verum enim verò animaduertite, ſi placet Auditores, quomodò ille omnia tentamenta experiatur, vt ſuam belli peritiam amplificet, Pompeij minuat; etenim adeò certa, conſtanſquè eſt Pompeiani conſilij ratio, vt natura ipſa magiſtra, qua nihil induſtrius, conſultiuſquè fieri poteſt, ducta fuiſſe videatur: Cæſarianos quippe mi-

milites diuturna inedia debilitatos, ſi geminato quoquè curſu deſcenſionis, aſcenſioniſquè fatigarentur, laſsitudine citiùs, quàm ferro exanimari debuiſſe quis nòn videt? niſi præter fortunam, natura quoquè Cæſari vnanimi coniuratione militaſſet? Pompeianos verò integros de ſuperiore loco (quod Imperatoribus Frontinus, & Vegetius commendant) pila iacturos, dimicaturoſquè vehementiùs? Cæſarem in tanta rerum felicitate medius fidiùs memoria feſellit; nòn enim ipſi in mentem venit, quid Virginius Conſul fecerit contrà Volſcos, qui Liuianis teſtibus monumentis, nèc promouit aciem, nec clamorem reddi paſſus defixis pilis ſtare ſuos iuſſit, mòx hoſtes curſu anhelantes integris ſuorum viribus aggreſſus fudit egregiè. Aſcanius etiàm Corneus noſtra ferè tempeſtate vir bellicarum artium peritiſsimus huiuſmodi Pompeij conſilium aliquandò probauit. Meliten Inſulam, quæ ab Hieroſolymitanæ militiæ equitibus, vt notum

om-

omnibus,fortitèr,& gloriosè tenetur, Turcarum exercitus innumerabilis oppugnabat; iàmquè littoribus, atquè agris crudelitèr occupatis ipſi regiæ vrbi imminebat,& muros diruere, turreſquè cœperat. Implorata ab Equitibus auxilia Principum ad octo peditum millia Sicula claſſe prệſtò fuerunt; in aduerſam Inſulæ partem, atq; ab hoſtibus inobſeruatam noctu importuoſo, sèd idoneo ſatis littore deſcenderunt, terraquè iter ad oppidum inſtituerunt. Turcæ, animaduerſo ſubſidio, pluſquàm geminato militum numero occurrerunt. Occupauerant collem noſtri. Imperantium pleriquè ſuadebant, vti ad hoſtem decurreretur. Corneus, vt ſe iugo, & munitionibus continerent, Turcamq; longo itinere fatigatum, quò virium robore tantis copijs pares fierent, ſapientèr hortari nòn deſtitit. Vicit quidèm prior ſententia, nec potuit ardor militum diutiùs inditus cohiberi, tamèn nequè ſinè periculo res fuit, nequè exitum meo iu-
di-

dicio commodum nacta foret, niſi & cum barbaris, atquè imperitis hominibus pugnari contigiſſet, & cauſa Numinis ageretur. Fuit igitùr maturitas, fuit exemplum conſilio Pompeij noſtri, fuerunt qui imitatione dignum cenſerent, nequè vel ipſius Cæſaris teſtimonio quicquam incommodi ex eo exortum Pompeianis legionibus, quæ acerrimè dimicarunt, ſibiquè minimè defuerunt, donèc à cohortibus Iulianis, quæ quietæ in loco fuerant, initium cladis factum eſt.

Iàm à portu proximè abſumus, Academici; vtinàm quam longiſsimè; cataſtrophe fabulæ eſt, exitu vſqueadeò tragico, vt lacrymas ab ipſis quoquè excutiat hoſtibus. Varia diù, & dubia fortuna certatum eſt: at equitatus ille ampliſsimus, in quo tantæ opes, & valida ſociorum auxilia ſita fuerant, à quo cingenda erat Cæſaris acies, cui omnium rerum conſenſione victoriæ pars magna debebatur, terroribus quaſi panicis correpta fruſtratur Im-

peratorem, ac per ſummam ignominiam ſugatur, & pellitur. Coguntur alis nudata legionum latera loco cedere, atquè internecione, quiqui obſtant, miſerabili trucidantur; caſtra expugnantur, omnia vaſtitate, ſtrage, ſanguine polluũtur. Hercules victor teſſera Pompeianis militibus datus, victrici Cæſaris Veneri, mas bellaciſſimus molli fœminæ (quis putaret?) indignè, & nefariè ſuccumbit. Pompeius ipſe nùnc primò attritus Pompeium fugiẽtem miratur, & ſuomèt perditus beneficio ab hoſpite proditur, & ſeruorum pudenda manu tantus vir ſceleratiſsimè tranſuerberatur, obtruncatur. O fatales Pompeio ſempèr Romani exules; bis ille cladem accepit in vita; quod in Hiſpania inchoauit Sertorius, in Teſſalia perfecit Cæſar. Ne quæſo, accuſatores, in tanta, tamquè inaudita calamitate adijcere afflictis dolorem velitis, parcite demùm, ceſſate à contumelia, nec cum fortuna vos quoq; coniurate. Ipſi nihilominùs toto conatu hoc

po-

potiſsimùm loco vires exerunt, vocem attollunt, atquè acerrimè in calamitoſum hominem inuehuntur. Plutarchus præ cæteris, & Dion adeò vrgent, vt ne Cicero quidèm tantis orationis aculeis, ſeù Catilinæ flagitium fuerit, ſeù Antonij Tyrannidem perſecutus. Erat ſeptima, nouiſsimaquè obiectationum Pompeium inclinata iàm re, & cauſæ, & ſibi turpitèr defuiſſe, cum reuocare fugientes, reſtituere aciem, reparare prælium debuiſſet, aut ſaltèm collectis conſtantèr reliquijs, & cum claſſe, Dyrrachiniſque cohortibus coniunctis denuò experiri fortunam partium; nòn enìm idem vniuerſorum præliorum eſt exitus; re hodiè male geſta qui abierit, quin cras poſsit benè gerere, nòn eſt deſperandum. Eius deniquè fuiſſe dicunt colligere animum ex infortunio, ac ſe in mentem reuocare Pompeium eſſe. Eheu Pompei Magni, fortunæ lacrymabile experimentum, cum omnia ex voto procedebant, cum ciuitatem, cum prouincias ab

hoſtibus liberabas, cum Imperium Populi Romani ad extremos terræ limites propagabas, nemini de te quicquam venit in mentem, niſi honorificum, glorioſum, diuinum; poſtquàm mutata eſt rerum alea (ità cum fortuna corrumpuntur mortalium animi) imprudens, ſegnis, ignauus, & ſi quid deterius cenſeri poteſt, tu illud audis; quæquè tùm anteà, tùm eadem in re fortuna in vnum coire fecit incommoda, hæc peccaſti; horum omnium reus es. Niſi nùnc mihi demùm ſuppedites, quid reſpondere ad propulſandam contumeliam poſſim, quàm vereor, ne cauſa cadere neceſſe ſit. Tamèn quicquid tonent aduerſarij, ego vt nunquàm in eam ſententiam adduci potui, vt putarem à Pompeio factum quicquam, quod Pompeio indignum foret, ità probationibus conabor meum propoſitum confirmare: nàm qui aut metum in eum Imperatorem cadere potuiſſe fortaſsè putat, qui tot anteà vrgentibus bellis, tot oblatis periculis

nun-

nunquàm metuerat, aut imperitiam notare audeat, haùd rectè æſtimat, atquè ab iniuria minimè abeſt. Cauillatus eſt quidèm Cæſar, & perſtrinxit acerbè Pompeium, cùm, Pharnace ſuperato, beatum illum conclamauit, qui ab huiuſmodi victoria pecudum Magni cognomentum ſortitus fuerit: quaſi verò Mithridates idem eſſet, qui Pharnaces fuit, vel vſquè ad ciuile cum Cęſare bellum aduersùs pecudes duntaxàt armorum periculum Pompeius fecerit, nequè in Italia, Hiſpania, & Aquilonaribus regionibus contra ferociſſimas nationes, Romanoſquè ipſos ea ſæpè Pōpeius geſſerit, quæ ſatìs, ſuperquè Cæſarianæ vocis calumniam confutent. Porrò ſi Orientis regna, nòn ſtrenuos milites, sèd viliſſimas pecudes educant, cùr tantoperè Macedonem cōmendamus? cùr magnum appellamus, qui aliam gloriam nactus eſt nullam, niſi quam victis Aſiæ populis eſt conſecutus? Cùr diſputet Romanæ hiſtoriæ princeps Liuius? cùr Paruta vir clariſ-

ſimus, atquè ampliſſimis muneribus, & legationibus pro Veneta Republica vbiq; perſunctus, ſi cum Romanis Ducibus Alexander congreſſus fuiſſet, vter victor futurus eſſet? Quid hæſitent de euentu, cum vtiquè Romani Duces ſuperiores eſſe debuiſſent? Nòn igitùr Cæſarem Pompeius timuit, qui Reges, Duceſquè maximos debellauerat, nòn ignarus bellicarum artium fuit, qui Mithridates, qui Sertorios, qui peritiſsimos quoſquè fuderat, non amentia correptus, proùt ij, qui eum diù in ſilentium fixum in caſtris ſediſſe dicunt, vt Aiax Telamonius aliquandò ad Troiam fuerat, cùm tantæ iacturæ calamitatem adeò compoſitus tolerauerit, vt coniugem ſiccis oculis ſolaretur; vt cum Philoſophis de prouidentia ſapientiſsimè diſputauerit, dequè conſilio capiendo nauitèr diſſeruerit; vt indigniſsimam deniquè necem admirabili conſtantia pertulerit, ijſquè vnis gemitibus exitum dederit, qui è corporeo carcere vſitato morientium ritu ſpiritum

du-

ducére debebāt. In acie quid ille geſſerit, nihil attinet in controuerſiā vocare, cum enim omnes paginæ planè conſentiant vtrinquè diù multa contentione pugnatum eſſe, poſtremò verò Pompeium ſuperatum, ſatìs, ſuperquè conſtare arbitror nòn illum priùs acie exceſsiſſe, quàm vniuerſa munia ſtrenui Imperatoris obierit, quamquè deſperatis omnino rebus, nihil ſibi reliquum eſſe, prætèr diſceſsionem viderit. Exceſsit, cum omnia patere vulneribus, nihil defenſioni, ſpectaret, cum præſentia Imperatoris vnam conferret ad cædem ciuium, quorum ſalutem tota vita, atquè eo præſertim bello quæſierat. Exceſsit, ne vitam ſuperſtitibus inuideret, quam conſequi, ac tueri remota belli cauſa, vt inimicis videbatur, beneficio victoris poterant, neu ſpirantium ſpectaculo miſerabilitèr intereſſet, ſuumq́; ſanguinem alienis fluentem plagis intueretur: ſi quis ſenſus eximium animum penetrauit, & mouit, ea fuit miſeratio, nòn

metus, qua ex re ità laudatus eſt Otho, vt omnem hoc vno decore turpitudinem vitæ exuerit. Exceſsit, cum ordinibus irreparabilitèr ſolutis, & perditis, nihil victori ad gloriàm deeſſe videbatur, præter victi aut inutilem mortem, aut precariam vitam; magis timuit, ne turpitèr viueret, quàm ne honeſtè moreretur. Exceſsit, ne qui par fuerat ſecundis rebus obtinendis, impar ferendis aduerſis videretur. Exceſsit non ſine clariſsimis exemplis, vt tempori cederet, vt maior ex calamitate vtiquè ſurgeret, vt bellum minore cum bonorum detrimento, quàm fieri poſſet, redintegraret, conquaſſatæ Reipublicæ ſubueniret, famam recuperaret, in ſummis difficultatibus, atq́, anguſtijs ſe Pompeium Magnum probaret. Exceſsit demùm, nòn vt ſuæ ſaluti conſuleret, sèd vt ſe ſaluti publicæ reſeruaret, ſi quandò virtuti locum Fortuna permitteret. Stetit igitùr in acie Pompeius nòn otiosè, nòn oſcitantèr, sèd hortando, iubendo, ambiendo cumulatè

ſuo muneri ſatisfecit; nàm cùr ſecùs, cum de Republica, de dignitate ageretur? Stetit quoàd illa defendi, ſuſtineriquè poſſe videbatur. Nequè noſtro nos ore loqui, & commentitia, oratoriaquè aut excuſatione, aut laude Pompeio gratificari velle exiſtiment aduerſarij. Audiant Lucanum atquè inter dolentis lacrymas, ſi poſſunt, veritatem videant

*Iam Magnus trāſiſſe Deos, Romanaq; fata*
*Senſerat infelix, tota vix clade coactus*
*Fortunam damnare ſuam.*

At Poetam, inquient, cauſæ, nòn veritati ſeruiſſe. Vt vt volunt, vel ipſum Cæſarem damus, nòn poetam, nòn amicum, cuius teſtimonij labare fides apud ipſos neutiquàm poteſt. Ille verò haùd priùs deſceſſiſſe Pompeium ſcribit, quàm equitatùm pulſum viderit, atquè in altiſsimos montes fugatum, quàmquè illam partem, cui maximè confidebat, omninò perterritam animaduerterit, legiones videlicèt veteranas, quas ſe habere firmiſsimas Pompeius

exi-

exiſtimauerat. Perterritas ait? immò verò diſiectas, trucidataſquè, niſi Cæſar ſibi ipſi mentiri velit, qui paulò antè fortiſsimorum militum cædem, ſagittariorum, funditorum, aliorumquè huiuſmodi recenſuerat. Quod verò ſubdunt Magnum noſtrum colligere afflicti exercitus reliquias debuiſſe, munire caſtra, & tantiſpèr ſe continere, donec Dyrrachinæ cohortes, & Corcyrenſis claſsis aduentarent; egregiè ſentiunt; ſed reuocate in memoriam, precor, Auditores, quàm inconſtans, quàmquè incerta voluntas hominum ſit, quiquè mortalium capeſſere malint futura, & periculi plena, quàm tuta, & præſentia. Res erat inter ciues; quæ ſuſpicio de voluntate Populi Romani Pompeium vrbe principio eduxerat, quod in tertia diſputatione memorauimus, eadem hìc eò magis hominem monere debuit, ne in ciuibus ſpem haberet, quò afflicti clade, perculſiquè fuerant, nequè eorum voluntati fideret, quorum virtuti diffidere cogeba-

geba-

gebatur. Addo Cæſaris celeritatem, qui ſpatium reparandæ rei nullum dedit. Itàquè ſi quid conatus in tãto tumultu Pompeius foret, certiùs ſemèt perdere, quàm ſeruare cæteros potuiſſet, nequè alio potiore in calamitate inſtituto ad ſpem nouarum rerum redire poterat, quàm ea ſuſcepta profectione, per quam ſua conſilia, cogitationes, itinera victori innoteſcerent, quam minimè fieri poſſet. Sapientiùs tamèn, quam ad Dyrrachium Cæſar, qui deſperatione rerum ferienti militi iugulum præbuit. Nequè adeò improbandus videretur Pompeius noſter, ſi poſt indefeſſam nauatam operam, diù cogitabundus, atquè in ſilentium fixus in caſtris fuiſſet; cui enim in tanta rerum acerbitate cogitandum nòn videtur, cum aliena coactus voluntate certam victoriam ſuomèt conſilio capeſſere non potuerit, cumq; ea Reſpublica penitùs rueret, quam ſuſtinere ipſe nequicquàm totìs viribus conatus fuerat? Quocircà cum iacturam Pompeij

Ma-

Magni nauitèr, vt ego arbitror, demonſtrauerim nullo ipſius vitio, nullo errore contigiſſe, ſatisquè pro mea tenuitate ijs partibus re ipſa me feciſſe videor, quas initio ſuſcepi, ſupereſt, Academici eruditiſſimi, vt ad cauſas referenda res ſit validiores humanis, quibus mortalium conſilio, aut vi reſiſti, atquè aduerſari minimè poſſet, quemadmodùm ij quidèm ſapientiſſimè retulerunt, quorum incorruptis animis memoria recens virtutis Pompeij fuit, nequè eum vel extinctum minùs amarunt; *Haſta enim poſita,* Tullio auctore, ac teſte luculentiſſimo, *cum bona clariſſimi Imperatoris voci eſſent acerbiſſimæ ſubiecta præconis, vna in illa re ſeruitutis oblita ciuitas ingemuit, ſeruientibuſq; animis, gemitus tamèn Populi Romani liber fuit.* At ne committamus, ſi placet, Auditores, vt abeuntem optimum Imperatorem deſtituamus, proditoquè, atquè interfecto nonnulli eorum ſaltèm apud nos honorum deſint, qui in illa defuere fortunæ

libi-

libidine, quæ cum omnium anteà bellorum victoriam eius virtuti reliquiſſet, extremam ſibi aut dolo, aut quaſi pactis cũ illa conditionibus reſeruauit, atquè vnius facti atrocitate innumerabilium felicitatem rependit. Fortunæ inquam libidine, qua nequè laudatus more maiorum prò roſtris tantus vir, neq; auorum ſepulchro illatus extrema amãtium obſequia haudquaquàm collegit. O miſeram hominum conditionem, quis cum beatiſsimum Põpeium anteà prædicauerit, nùnc manca, & cæcucientia iudicia mortalium veritatem attingere poſſe fateatur? Abit ille, Auditores, abit iàm alienis exutus, ornatus ſuis, nihil enim ſuum amiſit, qui bona animi nòn amiſit. Abit fatis ductus; perfidia regis barbari aduersùs hominem de ſe optimè meritum ſabulam claudit, ipſa, quam tantoperè celebrauimus, Eloquentia, dux, & cauſa ſceleris eſt, inuita profectò, ac deteſtabilis pertæſa operæ, sèd gladius quoquè ſuaptè natura innocens no-

cen-

centi manu interficit innocentem. Ploremus ſaltèm liberè, cum lacrymæ fluere ſinè metu victoris queunt, ſi modò ipſe repoſcit lacrymas, qui nullas emiſit, neq; potiùs poſcunt boni amiſſo capite. Iuſtitium eſt magìs Reipublicæ, quàm Pompeij, cui quidèm aliquandiù operam dare nòn abs re fuerit; vt quàm ſit innata fallacia, & fluxus rebus humanis nòn inutilitèr meditemur. Mortuus Pompeius eſt, at ità mortuus, vt in calamitate laudationi, atquè admirationi ſit locus; at patriæ cauſa mortuus eſt. Glorioſiùs Pompeio fuit occubuiſſe prò patria, quàm Cæſari aduersùs patriã dimicanti ſuperaſſe. Mortuus eſt, at cum Republica, cum libertate, ea quippè tempeſtate illa erat rerum ratio, vt nequè Pompeius niſi collabente Republica profligari, neq; niſi profligato Pompeio Reſpublica collabi poſſet. Ingens ſingularis, atquè inclyti viri magnitudinis argumentum, qui eàdem conditione cum tanto Imperio à mortalibus,

atq;

atq; immortalibus haberetur. Mortuus eſt, at ità mortuus, vt qui ampliſſima regna viuens Romanæ ditioni proſtrauerat, Ægypti locupletiſſimam dominationem exanimatus quoq; ſubijciendam curaret, ne perpetuo fructu dilectum populum deſtitutum relinqueret. Mortuus eſt, at ea ratione, vt ab ipſis morientis hoſtibus fatalis vltio manare deberet, qui honos ne Cæſari quidèm contigit. Niſi fortaſsè obijciant in eo præſtare Cæſaris necem, quòd hic à principibus viris eſt interemptus, Pompeius à ſeruis, Cæſar à Romanis, Pompeius ab exteris; Sèd mitto rerum ordinem, qui ità requirebat, vt qui aduersùs nobiles fuerat, à nobilibus confoderetur, qui pro nobilibus ſteterat, à plebeijs extingueretur, qui ciues oppreſſerat, ciuibus, qui exteros ſubiugauerat, exteris pęnas daret; at ineptus profectò, & ſordidus Cæſaris honos, qui ciuiũ odij teſtis fuit, atquè ipſius damnatæ tyrannidis argumentum. Etenim quod illum iactant periculo pro-

ximum ſæpè fuiſſe, nunquàm tamèn ferro violatum ne guttam quidèm ſanguinis amiſiſſe, id ſanè pro nobis facit; nàm quem totum ad ſatisfaciendum Pompeio, & ſibi patria implacabilis reſeruauerat, eius aliena manu quicquam fluere nòn oportebat: ſed quid inquio Pompeio, & ſibi? imò Pompeio vni oblita ſui mater videtur voluiſſe pœnas dari Cæſaris ſanguine, qui in ipſius Magni monumẽtis ſub ipſius ſtatuæ oculis effuſus eſt. Satisfecit Pompeius fatis, Pompeio Cæſar. Propterea Magnum in nauicula, & ſinu maris remoto, veluti clàm, fata interfici curauere, quaſi erubeſcerent, neceſsitatemq; cauſarentur: Cæſarem Romæ in Curia, in arce, ac lumine orbis terrarũ ſub pedibus æmuli trucidari voluere, quò vindicta palàm foret. Itaquè ſi Pompeium, aut Pompeij fortunam ſuperauit Cæſar in vita, Cæſarem ille ſuperauit extinctus, & Iulianas deindè partes adeò afflixit, vt ſi magnus illius genius (ità loqui cum Ethnicis liceat) in acie

Phar-

Pharſalica ligatus à fatis nihil potuerat, recuperata poſt obitum libertate ſe ſe hoſtibus acerrimè probare nòn dubitauerit. Hæc ſunt quæ iuſta tibi perſoluimus, Pompei Magne: vtinàm eo eſſes loco, vt tibi aut fructum aliquem, aut voluptatem afferre poſſent. Inanem tua cauſa laborem ſuſcepimus; hoc deplorandum; nòn inanem fortaſsè noſtra, ſi iſto tuo grauiſſimo caſu probè, & ſapientèr vti voluerimus, & vetuſtæ rei memoriam ad recentem vtilitatem traducere. Ibi nùnc es, vbi nequè tibi gloria rerum geſtarum, nequè calamitas iactùræ ciuilis detrimentum affert; quod tibi fuit infortunium in vita miſerrimum, vbi es, ne in cogitationem quidèm cadere dignum videtur. Cómoueor vehementèr, sèd fruſtrà Pompei; tamèn eorũ, quæ apud mortales quæſiuiſti, nihil tibi deeſt, nòn enim tui nominis fama, quòd vel ſummum, vel vnum concupiſti, metam vllam habebit, atquè vllum terminum, niſi cum æuo. Erunt ſempèr, qui

laudabunt, erunt qui etiàm miſerebuntur, & ſupremam tuam vicem dolere nòn dubitabunt. Quod deeſſe videri poterat, vt te à contumelia quiſpiam vindicaret, tot etiàm poſt ſecula es conſecutus. Piget meliorem tibi Oratorem nòn contigiſſe, & hoc tuis extremis improſperum fatis additum exiſtimarem, niſi mihi ſolatio eſſet tui amantiorem, ſtudioſioremq; quantùm Chriſtiano homini licet, me eſſe neminem; nequè alios ad tuas laudes vberiùs dicendas mea imbecillitas fortaſsè nòn excitabit.

---

Perorata huiuſmodi Actione, ita Socrates pronuntiauit.

*QVisquis agis turmas, aliena & cuſpide pugnas,*
*Cerne triumphalis triſtia fata Ducis.*
*Externis victor, demùm ciuilibus armis,*
*Quandò magis decuit vincere, victus abit.*

*Tu*

*Tu verò ſummam ne rerum expone periclo.*
*Iuſtius eſt ſaluis extimuiſſe ſuis.*
*Sin ſat conſultum, nec detrectare decorum eſt,*
*Clarius eſt ſaluo nomine concidere.*

Cn. Pompeius Magnus.
Philo.

*SAt fatis, Magnoq́ datũ; noua caſtra petebam,*
*Publica res curæ, non mihi vita fuit;*
*Obuia ſed mihi mors; probro fortuna medetur*
*Hoc ignominiæ, dum pudet, aſpra ſuæ.*
*Iamq́ alacres in ferrum adeò crudele ruamus;*
*Ni trado hanc animam, nil tibi, Roma, dedi.*

De eodem. Nicodes.

*VIcit Pompeius, cum magnũ vincere; rursùm*
*Vincitur, vt magnum ſuccubuiſſe fuit.*
*Res quippè ad magnas hominem fortuna creatũ*
*Ornat & in medijs ingenioſa malis.*
*Orbe nihil maius, quàm libera Roma, ſed ille*
*Non poterat, Roma ni pereunte, premi.*

*Sic eſt conſultum decori, famæq́; duorum,*
*Vno ſub caſu decubuere pares.*

De eodem. Damaſippus.

*TErno Pompeius ductarat ab orbe triũphum,*
*Pars intacta viro nulla ſuperfuerat;*
*Ille tamen iacuit Lybicis inhumatus arenis;*
*Sed nihil hinc melius Cæſarianus habet.*
*Pertinet ad Magni famam caruiſſe ſepulchro;*
*Horruit & buſtum territa ſemper humus.*

De eodem. Archias.

*ILle triumphatum ternis è partibus orbem,*
*Et mare qui domitis ſub iuga miſit aquis,*
*Deſine, Roma, queri, nudis inhumatus arenis*
*Quòd miſera Magnus conditione iacet;*
*Quippè ſepulchralē fortuna haud tradidit vrnã,*
*Cum dare non poſſet, quale merebat opus.*
*Nàm quæ non tellus olli ſuffecit ouanti,*
*Hæc fortè ad tumulum non malè tota patet.*

In Ptolemæum Ægypti Regem.
Lyſias.

*QVi tibi reſtituit regnum, Ptolemæe, patriq;*
*Hunc infanda puer prodis in arma ſenē;*
*Scilicèt illum oculi viles ſpectare nequibant,*
*A quo ſat norant tradita cuncta ſibi.*
*Vltima perfidiæ fuit hæc iniuria Graiæ;*
*Debuit eximium ſumma ferire caput.*

Ad tumulum Pompeij Magni. Xenarchus.

*EXpers ſepulchri qui ſepulchrum cernitis,*
*Miramini infidele fortunæ caput.*
*Deſpectus iſte, & ſanguine imbutus cinis*
*Fuit virorum terror, horror Numinum,*
*Secunda flabant cuncta; cuncta è nomine*
*Victoris ipſo decora quærebant ſibi.*
*Nùnc ò pudenda funera, ò turpes vices.*
*Quid cogitandum? fata ſcrutari licet*
*Haùd ſacra nobis, & Tonantis abdita;*
*At more ſi mortali fas eſt eloqui,*

*Vicit, quoàd ſecutus eſt mentem ſuam;*
*Alienus vt raptauit Heròem furor,*
*Præceps abiuit; ſcilicèt Magnum aſpera*
*Sors improbauit, quod conſilio non ſuo*
*Fuerit periclis vſus in nouiſſimis.*
*Qui fortè rebus fidis humanis, caue;*
*Extremus actus fabulæ oſtendit genus.*

In Nilum amnem à cæde Pompeij
Magni vndas retrò ferentem.
Gorgias.

*DVm ſecat Iſiacus Pompeij colla ſatelles,*
*Datq; triumphali cæde rubere ſalum;*
*Quod non horreſcunt homines, exhorruit amnis,*
*Inq; caput refugas ob ſcelus egit aquas.*
*Nam ratus indignũ eſt ſontes contingere fluctus,*
*Et ſua polluto ſoluere iura mari.*
*Regibus haud mirum ſi non vindicta pepercit,*
*Lagiadum præceps & dedit omne genus;*
*Scilicèt irati, quantumuìs barbara, Nili*
*Abluere infandum noluit vnda nefas.*

Demaratus.

VIATOR.

IVRE.BONO.HVNCCE.TRVNCVM.ADMIRARE
QVIS. CREDAT
CVI. OMNIA. NVNC. DEFICIVNT
FVERE. NVPER
OMNIA. VIX. SATIS
TERGEMINIS. CONSVLATIBVS
TOTIDEM. TRIVMPHIS
TERNO. ORBE. SVB. IVGVM. MISSO
PERPETVIS. IMPERIIS. CLARVS
VINDEX. LIBERTATIS
PRINCEPS. SVMMVS
SIC (NEFANDVM. NEFAS) SIC
IACET
VIRTVS. SENSIM. EXTVLIT. FORTVNA
MOMENTO. STRAVIT
REX. PRODITOR. ATROCISSVMO. PARRICIDIO
TVTELAM. EXOLVIT
CN. POMPEIVS. MAGNVS. EST
SAT. HABETO
ABI. ET. ÆGYPTVM. CAVE

# POMPEIANA QVINTA.

POSTQVAM Pompeij Magni à me ſuſceptam abſolui defenſionem, atquè accuſatorum argumẽtis ſedulò pro viribus ſatisfeciſſe mihi videor, quarè ſuſceperim, ſi rationem reddere voluero conſilij mei, faciam, Auditores, fortaſsè monſtruosè, nec ſinè veſtro riſu. Cenſeo tamèn cùm ad meum propoſitum, tùm ad rem ipſam pertinere, quod initio attigi, hìc vberiùs explicare, ne inanem ſuſcepiſſe laborem videar. Ego ità natura comparatus ſum, ità inſtitutus à puero, vt nullum donum à Deo Opt. Maximo in rebus humanis homini datũ, perindè amandum, atquè æſtimandum iudicem, ac libertatem. Illa qui fruatur, & gaudeat, quiq; ità natus ſit, vt dominum cognoſcat extrà leges prætereà neminem,

hunc

hunc in ijs, quæ ad ciuilem vitam pertinent bona, beatũ ſempèr exiſtimaui. Quod quamquàm à præſenti vitæ meæ inſtituto alienum eſſe videatur, eam tamèn ſeruire ſeruitutem, quæ regno ſit proxima, non aduerſatur ſententiæ meæ. Cæterùm magnum quiddam eſt, idemquè animo difficile percipiendum, homo liber, atquè ingenuus quomodò deliberet, proponatq́; alienis iuribus ſe ſubijcere, & labores, ingenium, vitam, (res inæſtimabiles) viliſſimo pretio exhibere venales, nequè vnquàm animum inducam meum conditionem tolerare poſſe huiuſmodi quempiam, niſi ſpe recuperandæ libertatis mitigaretur. Proptereà cum Italiam hanc noſtram, regionum pulcherrimum lumen, non modò vt natale ſolum mirificè dilexi ſempèr, & colui, verùm vt illam etiam, quæ in primis in lucem edidit, aluitquè huiuſmodi magnos animos, qui libertatem amauerunt, atquè imperare, quàm ſeruire maluerunt, tùm Romanam Ciuita-

tatem antè omnes admiratus vehementèr ſum, quæ tenuiſſimis orta principijs ſtudio libertatis ità profecit, vt haùd ſe tãtùm tueri potuerit, ſed imperium terra, mariquè latiſsimè propagatum, ipſius Solis itineribus terminauerit. Ex quo fit, vt & tantæ Reipublicæ interitum magnoperè doleam, & cauſas Pompeianæ cladis ſcrutari non deſinam, vt ſi minùs rebus aut per conditionem meis licet, aut per inſcitiam alienis prodeſſe poſſum, eam ſaltèm voluptatem capiam, vt mei ſequar ideam ingenij. Hæc pars ad hanc quintã, poſtremãq; diſputationem noſtram pertinet; hùc noſtra induſtria, noſtri labores ferebantur, vbi nihil prò Pompeio, omnia noſtra cauſa dicenda ſunt. Quòd ſanè ſi ſuperare expectationem illud eſt, quod ampliſſimũ à viro laudis cupido ſperari poſsit in vita, benè habet, Auditores, ſuperaui ego expectationem; quam enim à me partem minimè expectabatis, hanc vltrò exhibeo, gaudeoquè deceptionem ad vſum fuiſſe;
cum

cùm illud egregiè celauerim, cuius gratia hiſce defenſionibus operam dedi, & quò omnis noſtra tendebat oratio. Nàm cum res ſacræ, quæ meam in primis conditionem decent, ad ſuggeſta Templorum pertineant, vt maieſtate loci earum ſe dignitas tueri valeat, & tanquàm in propria ſphæra eluceſcere, Philoſophicæ autèm, aut minorum facultatum ad Academias; eæ mihi hoc loco eligendæ videbantur, in quibus voluptas cũ vtilitate coniuncta ſit: neq;enìm nimis acutè, & ſubtilitèr diſputare debemus in Academia, ſed quod curioſè percipitur, & pronis auribus auditur, illud maximè idoneũ videtur. Quod aptiùs præſtari poſſe in mentem nõ venit, quàm ſi ad Politicas, ſinè quibus ſocietas hominum conſtare nequit, animum adijcerem. Porrò facta, non præcepta complexus ſum, cum facta, iucundiora, nec ſine præceptis eſſe ſoleãt. Præſentia omiſi metu inuidiæ; ad remota à noſtris temporibus me contuli, ex quibus dicenti ſecuritas, audito-

ri-

ribus documentum manat; tametsì nihil antiquum, quod in Italia, atquè adeò in Vrbe rerum domina geſtum eſt;nihil præſentiùs, quàm quod maximum. Partiq; hæſi, quæ ſuccubuit, tùm ob æquitatem cauſæ, & miſerationem, tùm quoniam infirmi eſt animi, & fortunæ ictus pertimeſcentis abhorrere à victis, fouere victores. Eo deniquè à me contextu, atquè ordine meæ ſunt inſtitutæ diſputationes, vt varietate quadam non ignobili,prima ad Satyram propiùs accedat, ſecunda Oratoris actionem imitetur, tertia, & quarta Tragędiam referant, reliquæ ad Philoſophum, Theologumquè pertineant; quo factum eſt, vt de retrita peculiari mea quadam, nequè priùs tentata ratione, ac methodo diſſeruerim.

De cauſis igitùr Pompeianæ cladis,atq; euerſæ Reipublicæ omniũ maximæ (nàm vtriuſquè eadem eſt ratio) cum dicere aggredimur, cumq; anteactarum diſputationum ad colligendum fructum propera-

ra-

ramus,eam vehementèr calamitatem deplorare oportet, Auditores, quæ mortalibus iure naturæ tributa eſt; quæ enìm nobis dona diuinitùs ampliſsimè tradita mirum in modum eluceſcunt, ea quamplurimis, ijsquè maximis compenſantur incommodis. Atquè ea præſertìm eſt conditio mentis humanæ, alioquì ad diuinitatem proximè adductæ, vt ſpeculari extrà phantaſmata nequeat à rebus pendentia, quæ ſub oculos cadunt; ex quo fit, vt cum cauſas rerum occultas, & denſiſsimis tenebris obuolutas intueri nō poſsimus, noſtra omnis ab effectis deriuanda cognitio ſit, & ductu ipſorum luminis quaſi nocturni principia quærenda, quæ vel nunquàm, vel ægrè oppidò conſequamur; cùm illud ſit in primis imperfectiſsimum rerum mutabilitas, & viciſsitudo mortalium, quæ vt ad certam legèm reuocari nequeunt, ità obſcurioribus ad indagandum cauſis nituntur. Omitto naturalia, quæ minùs incertis conſtāt ordinibus, an-

num

num à tempore in tempus, diem ab hora in horam mutari, corrumpi corpora, ipſorumquè elementorum ſtatum perturbatione aſsidua labefactari; at ipſi mortalium animi varijs affectionum fluctibus agitantur, diſtrahunturq́; mores non conſtant, leges euertuntur, nequè peſtis hæc, quæ in rebus omnibus dominatur, maiorem vllibì vim, & ius habere, quàm in Imperijs videtur, Rebuſquè publicis, quæ tempeſtatibus ferè perpetuis, & conuerſionibus cruentis adeò laborant, vt Hiſtoricorum, Politicorumquè calami fatigentur, miſerumquè argumentum huiuſmodi toto terrarum orbe latiſsimè pateat. Hac de dominationum inconſtantia, deq́; cauſis, quarè potiſsimùm Reſpublicę conuertantur, eſt nobis primo loco intimè, ac politicè diſputandum, & quaſi baſis dicendarum rerum hæc firmiſsima ſtatuenda: vt ad Romanam ſermonem ſubindè flectamus, tùm ad ſuperiores fortunam, Deumq́; ipſum iuſta methodò procedendum; nàm

quæ

quæ Imperia communiſsima lex naturę ad interitum ducit, eam proximis itèm cauſis, atquè inſtrumentis vti neceſſe eſt. Itàq; cum in Rebuſpublicis, ſeu optimatium ſint, ſeu populares plurimi dominentur, principia quoquè corruptionis, vt multiplicia, ità oportet eſſe maxima. Certiſsima eſt enim, conſtanſquè propoſitio Philoſophorum, quæcumq; ex pluribus partibus conſtituta ſint, illa faciliùs reſolui, quæ ſimpliciſsima, ea eſſe corruptioni minimè obnoxia. Eò verò popularium Rerumpublicarum conditio deterior eſt, ac frequentiùs ad conuerſionem ruunt, quò multitudo numero præſtat, & virtute ab optimatibus longiùs abeſt. Nàm cum anima quaſi quædam Reipublicæ conſilium exiſtat, nequè corpus vllum viuens, ſinè anima conſtare valeat, quid eſſe conſilij poſsit in hominibus imperitis, qui omnia ſuis libidinibus, nihil ſapientia, & fortitudine metiantur, minimè video. Plebem quidèm ſalutaribus inſtitutis, & præ-

ce-

ceptis à viris ſapientibus principiò imbutam, aliquandiù in officio, & ſub legum auctoritate poſſe contineri haud in incerto eſt mihi; ſed cum illa aut nullâ omninò, aut certè exigua ad virtutem habitudine natura prædita ſit, in ſe ipſam breui recidat neceſſe eſt. Eoquè loco habentur mihi Reſpublicæ populares, quo ruſticæ, agreſteſquè caſæ, quibus ædificandis, vti vilem, fragilemq́; materiam adhibent, humentes glebas, rude glutinum, cretam aquis ſaturatam, paleas, atquè alia huiuſmodi, ſic eæ inſultantibus cœli iniurijs, vẽtorum, atq́; imbrium vi, breuiſsimo temporis interuallo debilitantur, & cadunt, nequè tenuis cõtignatio, & ſtructura diutiùs tueri ſe valet. Etenìm populi auctoritas vertitur in licentiam, potentia in libidinem, diuturnitas in peruicaciam; neq́; diù ea Reſpublica conſtare poteſt, cuius regimen huiuſmodi fæce contaminetur, cui nequè in deliberando prudentia, neq́; in obeundis periculis fortitudo, nequè

ſecun-

ſecundis in rebus, magnaquè fortuna moderatio, nequè in aduerſis conſtantia ſuppetit, ſed lucri, voluptatiſquè gratia, nullo pudore, nullo metu omnia peſſundat, & ſuis cupiditatibus ſubijci iubet. Præclarè Polybius, qui plebem facilè falli, & ad quamque rem induci maritimorum fluctuum exemplo literis mandauit: mare enìm violentia ventorum exagitat, quod aut propria conſilia ex ijs fontibus, quos deſcripſimus, aut praui duces in turba ſolent. Præclariſſimè illi, qui priuatæ in homine Reipublicæ, in qua opprimatur ratio, cupiditates habenas regant, vimq́; & maieſtatem dominationis exerceant, plebeium huiuſmodi Imperium æquiparant. Quocircà præualidis vulgi opibus libertatem demùm interire, atq́; ad vnius arbitrium, potentiamquè omnia referri oportet, cum bonis artibus (extincto præſertim externo metu) luxu, & libidinibus diletis, ciues inter ſe inuicèm digladiari neceſſe ſit. Athenienſium, compluriumq́;

Græcorum Reſpublicæ; quas ipſe com-memorat Ariſtoteles, Italici etiàm gene-ris non paucæ, quæ vel noſtra ſecula teti-gerunt, quàm inconſtans, periculoſaquè vulgi ratio, & popularis dominādi ſit mo-dus, docere poſſunt; euentaquè frequen-tiora, eas eſſe corruptionis cauſas, quas modò recenſuimus, haùd dubitantèr ape-ruerunt. Nequè vitam præterire Rempu-blicam Florentinam operæ pretium exiſti-maui, cuius populus nequè amentia, & furore, nequè inconſtantia, & cupiditate nouarum rerum, nequè atrocitate, & fre-quentia facinornm ab vlla, quantumuìs barbara natione, ſe ſuperari paſſus eſt, qua-ſi ingenium, quo pollet maximè peſſimis in rebus declarare ſibi duxerit honorifi-cum. Pudet dicere, quæ illum facere neutiquàm puduit. Ibi perpetuæ factio-nes, altera vexare alteram, atquè vt flu-ctus maris truduntur inuicèm, ſic hæc il-lam à magiſtratibus, à mœnibus exturba-re, ferro, igni graſſari, non ætati, non

ſexui

ſexui parcere. Atquè eò temeritatis quandoquè deuentum eſt, vt audaciſſimi è viliſſima plebe homines Ciuitatem in poteſtate haberent, ſummos Magiſtratus in purpura gererent, leges ferrent, exercitus ſcriberent, oratores regios è ſolio audirent. Quod quàm incómodum, quàmq; indecorum Reipublicæ tantæ contigerit, non eſt opus ſermonibus explicare. Itaq; Medicis opportunè neceſſe fuit, qui turpiſsimis, execrandiſquè ipſius vulneribus opem ferrent. Nequè verò in tanta colluuie rerum aliud inuenio, quod mitiget calamitatem, ac recreet pauliſpèr animum, quàm vnius Michaelis Landi nomen, qui ſolitus lanam pectere ſeminudus, Dictator poſt deiectos patritios cóſtitutus à plebe, ſingulari fortitudine, prudentia, iuſtitia adminiſtrauit imperium; cumq; ipſius virtus apud eoſdem, qui eum ornauerant, inuidiam conflaſſet, armaq; aduersùs ipſum concurſu maximo raperentur, ille ingenti vigore animi obuius tumultui factus

 acer-

acerrimè dimicauit, hoſteſquè ad internecionem latiſsimè profligauit. Egregius ſanè vir, cui cùm natura mater, fortuna noucrca fuiſſet, eius ingenium alliciendo fecit, vt fortuna quoq; naturæ coniungeretur. Verùm huiuſmodi exempla rariſsima ſunt, tutiuſquè eſt ità conſtitutam eſſe Rempublicam, vt nulla oporteat plebeij hominis argumenta extare Virtutis, incertamquè experiri aut induſtriam, aut voluntatem. Igitùr optimatum Reſpublicas firmiores eſſe, ac temporum iniurijs minùs expoſitas non eſt ambigendum, cum ex hominibus coaleſcant, quibus ad virtutem via ipſomet inſtinctu naturæ patet, quiquè quò cenſu magis, atquè opibus antecellunt, clariſſimiſquè orti maioribus plenas imaginum, atquè exemplorum domos incolunt, eò hæreditariam prudentiam præſeferunt, atquè animi magnitudinem, quarum vi, cum conſilio, & manu plurimùm valeant, plurimùm Ciuitati prodeſſe poſſunt. Platonem vt in

omni-

omnibus rebus ad excitandam admiratio-
nem natum, perindè in hac profundiſſi-
mè diſputaſſe tradunt (hæc enim in ipſius
monumentis minimè extant) Reſquè pu-
blicas ad Geometricæ, atquè Arithmeti-
cæ rationum menſuram diſtinxit; ſtatum
autèm popularem Arithmetica æqualitate
compoſuit, in qua inter numeros analo-
gica progeſsione creſcentes idem eſt inter-
uallum; atquè æqua dimenſio. Ibi enim
promiſcuè omnia, connubia, magiſtra-
tus, auctoritas: itaquè turbis, atquè euer-
ſioni proximè obnoxius. Optimatum Geo-
metrica magnitudinum proportione, in
qua inæquali quadam ſimilitudine, per-
ſonarum, locorum, temporum ratio ha-
betur; propterea melior; negauitq; Pla-
to beatam eſſe poſſe Ciuitatē illam, cuius
adminiſtratio Geometrica ratione non
conſtet. Alij verò ſubijciunt optimam eſ-
ſe eam formã Reipublicæ, quæ ex vtraq;
ferè conflata temperamentum harmoni-
cum ſequitur, cum Geometrica nimirùm

proportione, atquè Arithmeticis æqualitatibus permixtis congruentia populo non negantur, & ſuus patet virtuti locus; multa ſunt enim, quæ ad normam Geometricam ſunt in Republica comparanda, alia, quæ ad Arithmeticam, & ſummo legiſlatoris iudicio, iuſtitia, & æquitas temperanda. Quòd ſi nubat nobili inopi plebeia diues, ea erit harmonico ritu ſancita permixtio. Quæ cum ità ſint, & maximorum Philoſophorum conſtanti firmatā ſententia, non ſatis laudari poſſe videntur ij, qui primi nobis Rempublicam Venetam tàm præclarè inſtitutam, ſapienterquè tradiderunt, à cuius faſcibus, atquè imperio libido omnis, inſaniaquè plebis eſt alieniſſima; cum ibi res tamèn ea ſint temperantia, atquè harmonica ſuauitate compoſitæ, vt ad populum pertineant ſpecioſa nonnulla, quæ ſatis, ſuperquè ſunt, vt ſibi ille dominari videatur. Cæterùm vis omnis, atq; auctoritas penès Senatum. Nullæ in ea propterea turbæ, aut pericula

no-

nouarum rerum, vel admodùm infrequẽtia, & caſſo euentu; occurrunt enim ſapientiſsimi principijs Patres, & fauillam adhùc in cinere delitentem opprimunt, & planè reſtinguunt: quò factum eſt, vt hæc vna diuturnitate omnes excellerit, & compluribus ſeculis triumphatis firma, & ſtabilis perſeueret. Qualis, Auditores, Romani nominis Reſpublica fuerit, neminem latet. Patres inſtituit Romulus, auctorauitquè; pulſis Regibus Publicola plebem erexit, ius comitiorum dedit, prouocationem ab Senatu ad populum ſanxit. Ita penès Senatum dignitas, & maieſtas; penès populum potentia, & vis; nàm equites, qui initio à multitudine haudquaquàm ſegregabantur, vix tandèm magno illo Ciceronis Conſulatu ab ea diſcreti tertium ordinem conſtituerunt, qui patritijs adhæſit. Quapropter cum è peſsimis ſimul, atquè optimis ea Reſpublica conſtaret ciuibus, etſi aliquandiù magis extra vitia, quàm cum virtutibus populus fuit,

tamèn (quod erat neceſſe) ſecutis temporibus, aucto Imperio, licentia, luxu paulatim ab ſe deſciuit. Indè crebræ inter vtrumquè ordinem contentiones, nùnc de agrarijs legibus; nùnc de Tribunitia poteſtate, nùnc etiàm de Conſulatu, dùm libertatem populus arrogantèr tueri, nobiles dominatum tyrannicè adipiſci contendunt, nequè tàm de amplificanda patria cogitant, quàm de opprimenda laborant. Inde ortæ largitiones, congiaria, profuſæquè liberalitates in multitudinem. Indè magiſtratus, iura, ſubſellia Romæ omnia venalitèr habita; eoquè væcordiæ proceſſum eſt, vt homines clari, quò ſuas opes populari potentia firmarent, & priuatas ſimultates, odia, libidines publico detrimento ſatiarent, ad partes plebis degeneri adoptione tranſirent. Hoc flagitio optimum ciuem M. Tullium furioſiſſimus Clodius eiecit, & infinita prope modùm huiuſmodi exempla ab Hiſtoricis memorantur. Nequè ſatis fuit Romanos

ani-

animos inter aſſiduas turbas nutrire, ſed exteri adſciti; quamobrèm plurium ſeculorum, plurium gentium vitijs contaminatæ Reipublicæ, atquè à priſca ſeueritate valdè abhorrenti, dùm cõmunis omnium hominum quaſi patria omnes admittit, quod gloriæ ducebatur, exitio fuit. Vniuerſa tamèn diſſidia Ciuium vſquè ad C. Marium infrà metam ſeditionum fuere, nunquàm anteà certatum acie, nunquàm ciuili ſanguine caſtra imbuta. Ille plebeius, ille ruſticus, ille fabri filius primus fuit, qui cum odio nobilitatis contumeliosè ſummos magiſtratus à plebe extorſerit, virtute, atquè fortuna æquè abuſus Romanos exercitus aduersùs Romanas Aquilas ducere, atquè hoſtium loco habere ciues poſteritatem nefariè docuit, quod fuerat inauditum, ſpectari iuſſit, atq; illud ſceleris inchoauit, quod affinis eius C. Cæſar perficere demùm auderet, & poſſet, easq; ad factiones viam perpetuò aperuit, quæ ſub alijs, atquè alijs nominibus in

Ita-

Italico ſolò vſquè ad hæc tempora perſe-
uerant. Eccè igitùr quomodò è plebis ſyl-
ua erupit anguis; qui libertatem veneno
ſuſtulit, & Rempublicam planè deleuit.
Nàm vbi remoto Carthaginis metu, ſublataquè Imperij æmula, vt in ſententiam
Velleij loquamur, Romanorum potentiæ
prior Africanus iter aperuit, luxuriæ, atq;
vſui rerum ex potentia, & libidine ſuperuacaneo poſterior, politicum illud corpus inteſtinis morbis contabeſcere, ac demùm reſolui neceſſe erat, quod externarum cladium iniurijs violari nefas eſſe videbatur, & ſanguis ille, illud abdomen
tot gentium, tot prouinciarum, tot regnorum, quo fuerat ſaginatum, intercluſo tandèm exitu; idem diſrumpere planè
debebat, cum talem nacti populum eſſent
peſſimi duces Cinna, Marius, Sylla, à quo
omnia iura diuina, humana permiſcerentur, omnia probroſa, & nefaria perpetrarentur; tales duces deterrimus populus, qui
amentia, & libidine profligati per rapinas,

in-

incendia, proſcriptiones, capita ciuium palàm debaccharentur, & furerent. Neque enim aliam libertatem populus nouit, quàm licentiam peccandi; tùm quippè ſe dominari oppidò putat, cum ei ſeruit, qui omnia licere permittit, nec ſi titulus abſit, ſeruilem ſtatum plebecula perhorreſcit, in vnum in Ciuitate quoquè libera, à quo pendeat, ſempèr intenta, Romana præſertim, quæ tolerandi regni potens, Regis nomen deteſtabatur. Quam Auguſtus quidèm vulgi opinionẽ, immò & ex nobilitate complurium nauitèr animaduertit, & prout principatus eſt nullus ſine ſpecie libertatis, neq; libertas aliqua ſine imagine principatus, vim ſibi dominationis arripuit, magiſtratuũ vetera nomina conſeruauit. Quod ſi Cæſari in mentem veniſſet, coniurationi fortaſsè aditum minimè aperuiſſet, cum nihil interiùs, quàm Dictatorij nominis odium, regij metus animos penetrauerit; vſquèadeò faciliùs rebus, quàm vocabulis inſueſcimus.

mus. L. quidem Sylla populi audaciam fregit, potentiam minuit, Tribunitiam poteſtatem penè deleuit. At Pompeius, cui cruenti Dictatoris exemplo deterrito beneuolentia, non odio quærenda potentia fuit, auctoritatem plebi reſtituit, & Tribunatum, cuius demùm opibus euerteretur, redintegrauit. Itaquè cum corruptis rebus omnibus, quod vno plùs antè ſeculo Polybius præuidit, & cauit, iam pridèm vſitatum foret, vt Ciuitas diuideretur, atquè alij, quorum opum vis ingens, & vaſta potentia, pro optimatibus ſtarent, alij pro populo, totoquè annorum ferè centum ſpatio tumultibus, coniurationibus, bellis ciuilibus Roma laborauerit, eò deducta res eſſe videbatur, vt libertas iàm viribus deſtituta ſe tueri neutiquàm poſſet, nequè Cæſaris, Pompeijquè tempora ſuperare, qui ad ampliſſimum euecti faſtigium, & nimiam potentiam, ſibi inuicèm graues, ſuſpectiquè erant, cum præter communes corruptæ mortalium natu-

ræ

ræ cupiditates, propriæ adeſſent, nequè deſiderarentur qui vtrinquè accenderent animos, atquè ad furorem, bellumq́; crudeliſsimum cōcitarent. Iàm Craſſus obierat, Iulia deceſſerat fatali Partho, partuquè, omnes nodos, omnia vincula, ſeu charitatis, ſeu metus fortuna confregerat; diuidi inter ſe duces, diuidi Ciuitatem oportebat in duas pertes, quæ de ſumma rerum decertarent, regnum quippè nòn capit duos. Cumquè vna iuſtitia, & veritas ſit, alteram partium iuſtæ cauſæ inniti, alteram iniquæ neceſſe erat, quas indè boni; hinc mali ſequerentur, qui ſe ſe inuicèm collidentes, ſi mali ſuperiores forent, tyrannidem poſtremò conflarent; nequè de malorum victoria videtur dubitandum argumento à natura ducto, in cuius corruptiſſimo, impotentiquè regno ad exitium, exterminationemquè boni vis mali ſempèr latiſsimè patet. Igitùr in aperto eſt, popularem dominationem principia corruptionis ampliſsima habere natura inſi-

inſita;corpusq́;eiuſmodi Reipublicæ cum ad nimiam magnitudinē, ac ſecuritatem ab extero terrore peruenit, ſua vi diſſolui, ſuo pondere in præceps ruere. Nequè latet eò iam neceſſitatis,ac loci Romani populi deductum imperium, vt qui benè de Republica ſentirent, arma caperent cum Pompeio, qui malè, cum Cæſare conſpirarent; ac proindè mali victores forent. Quòd ſi quis roget, quid in tanta colluuie rerum agendum fuiſſet, ne libertatis cauſa telorum iudicio committeretur, neu lis, contentioquè dominationis arbitrio belli dirimeretur, perdifficilis, atquè infinitæ propemodū conſultationis eſt quæſtio, quam nequè Plato, nequè Ariſtoteles, nequè Cicero, nec de Republica quicumquè ſcripſerunt, enodare, ac reſolue-re fortaſsè potuiſſent, nequè ſecùs euenire meo iudicio poterat, quàm quod euenit. Græcorum Reſpublicæ quidem, cum ciuis aliquis eò potentiæ proceſſerat, vt ſuſpicionem mouere poſſet, eundem oſtra-

ciſmo

ciſmo mulctabant, atq; eius opes, & clientelas eo, quod eſt exilij genus, imminuebant; qua ratione Cimonem, Ariſtidem, Themiſtoclem Athenienſes ſuis ceruicibus excuſſerunt. At Pompeij, & Cæſaris vires diuitiarum amplitudine, victoriarum gloria, exercituum, ac prouinciarum vi adeò inualuerant, vt huiuſmodi pharmaco nequaquàm pateret locus. Memini Dauidem in maximis Regem, cum quidam apud eum de Ioabo, & fratribus militiæ præpoſitis quereretur, reſpondiſſe fruſtrà ſe orari; cum ij potentia Regem anteirent. Eadē Romæ tùnc temporis conditio fuit, cum illi vtriquè Rempublicam opibus antecellerent. Si ad priuatam vitam cogendi ambo viderentur, vt nonnulli putarunt, quis auderet? Si pari dignitate Conſules fierent, Cæſar vitandæ cauſa diſſenſionis proficiſceretur ad bellum Parthicum, Pompeius, qui auctoritate, gratia bonorum, & magnitudine rerum geſtarum ea tempeſtate æmulum anteibat,

tanquàm humanum faſtigium egreſſus à bellicis laboribus abſtineret, atquè in Vrbe præſideret, quis affirmet alterum alterius gloriæ haùd poſſe inuidere? Alterum de altero ſuſpicari? Eſto etiàm concotdia huiuſmodi, at poſt annuum Conſulatum quomodò plaga non recrudeſceret? malumquè non extinctum, sèd fruſtrà dilatum foret? Inquient fortaſsè intereà M. Tullium, quo nemo certiùs vidit anteà, tanquàm de ſpecula, calamitatem, atquè alios vnà, qui patriam diligerent, agere cum vtroquè, ac deteſtabile diſsidium componere potuiſſe. Rectè quidèm diſſerunt, ſed facto eſt opus; tùnc ego quippè omnem ſpem abijciendam puto, cum ad ſummum peruenit animorum ambitio mortalium. Quæ ne quis exiſtimet aduerſari rebus ijs, quas in ſecunda diſputatione diſſeruimus, cum ortam contentionem citrà culpam Pompeij defendimus; nàm vbi ſalutem Reipublicæ primo ſibi loco curandam Pompeius cenſuit, ſuæ digni-

tatis

tatis rationem quoq; habere debuit. Neq; alium locum maximi ponderis præterire prudentis iudico, armis nimirùm, & vi fundatum, innixumquè ſtatum Romani populi, armis itèm ruere debuiſſe, nequè diù conſtare potuiſſe, quæ fortuna incerta, & fluxa conſtituit, cum, vel ipſo Cæſare auctore, nihil magis, quàm bellorum euentus in poteſtate fortunæ ſint. Militum robur, ac vim licentia, & libido ſæpè corrumpit; ad furta, rapinas, ſtupra, innocentium cædes rapit, ſacris æquè, ac prophanis rebus manum violentam inferre iubet; fama quippè, an infamia polleat, turpitudine, an gloria præſtet, nihil penſi habet. Plerique audaces, fortesq; ſunt, vbi multùm opibus anteuenere; vbi adſunt pericula, viles, in acie iuſta ſegnes, ante hoſtem timidi, & diſciplinæ expertes, cum ea ſit contumelioſæ huiuſmodi militiæ cōditio, vt ibi plurimùm animo cadant, vbi plurimùm virtute opus eſt. Quocircà qui ad defendendam Rempublicam inducti

ſunt, atrocibus exemplis eandem plerùmquè diruunt, & quos ad ſalutem paraueris, in exitium vergunt. Pietas aduersùs Deum, mutua charitas, concordia inter ſe ciuium, prudentia, & conſilium, hæc armis potiora, hæc Reipublicæ præſentia propugnacula, certæquè defenſiones. Pietate paratur cuſtodia Numinis, quæ nec penetrari, nec expugnari, nec frangi poteſt. Concordia ciuium patriæ amore definitur, efficitquè vt re familiari poſthabita, nihil boni habeatur loco, quod Reipublicæ non ſit commodum. Et quidèm Plato beneuolentia ciuium, ſuam ciuitatem muniuit, & ſepſit. Prudentia modum præſcribit, errata corrigit, complura imminentia longiſſimè ſpeculatur, obuia fit, & ſi fato ſequantur, adhibitis celeribus remedijs curat, & ſanat. Quamobrèm, vt hæ virtutes in Republica coaleſcant, informandi ſunt literis animi, & iuuentus bonarum artium diſciplina excolenda. Nihil enim æquè ciuitatem tuetur, quàm

edu-

educatio, nihil perindè munit aduersùs bellum, ac ſtudia pacis. Ex quibus omnibus illud nobis ciuiles, atquè intimas rei cauſas inueſtigantibus prò comperto habetur corruptiſsimam Romæ Rempublicam vltra Pompeium, & Cæſarem, quod pridèm affirmauimus, conſiſtere non potuiſſe. Quod vel ipſi poſt cladem de prouidentia perconctanti Pompeio Cratippus reſpondiſſe fertur, cum externis malis ſuperatis, inteſtinis morbis inſanabilitèr angeretur, qui ad ſummam vim, vehementemquè ſæuitiam deducti fuerant. Cæterùm aliena vi à ſuis conſilijs Pompeius abſtractus, vti ſuperiore diſputatione demonſtrauimus, neceſſariæ cladis eſſe ludibrium coactus fuit, nequè rei malè à viro geſtæ cauſa ſtatui apud Politicos vehementior poteſt. Ex quo fit, vt Cæſarianæ victoriæ ratio ad vnitatem dominationis, abſolutamquè Imperatoris poteſtatem vt plurimùm ſit referenda. In Pompeianis enim partibus genere, opibus, gratia Im-

peratori plures æquabantur, ſpe, audacia, impotentia plurimi anteibant. Quod incommodum regnum Galliæ quàm ſemper afflixerit, affligatquè noſtra ætate mirum in modum, ſermonibus explicare nõ eſt neceſſe. Itaquè congruentèr poſſe affirmari mihi videtur, natum Pompeium ad dominandum, cum primùm paruit, victum eſſe. Nequè enim in eius manu ſiuè bellum, ſiuè aliud negotiorum genus perijt vllum; cum ſuo vſus conſilio fuit. Verùm hæc adeò hodierna die de re Politica dicta ſint; nàm cum ſatis animaduerterim in ea me, quæ proximè anteceſsit, diſputatione fuiſſe longiſsimum, vobis in hac quoquè grauis, Viri ornatiſsimi, eſſe nolui, & cum hæc pars tria capita comprehendat, ſingulis actiones ſingulas diſtribuere ſtatui, vt vnamquamquè ſpeciem rerum veſtra ingenia, & cogitationes negotijs maioribus impeditæ ſuo tempore metiri valeant. Si mihi idem ſilentium, eandem patientiam, humanitatemq; præſti-

ſtiteritis, quod minimè vereor, de celſioribus cauſis, atquè ad curioſitatem ſanè compoſitis proximè diſſeremus; improbat enim Plotinus illos, qui cauſis rerum ijs, quæ ſub oculos cadunt, contenti ſunt, neq; ad ſublimes meditatione aſcendunt, cum præſertim quæ propinquo in loco ſitæ ſunt, ſufficere, atquè ingenijs ſatisfacere non videntur. Haud nobis indignum erit, nec fortaſsè pœnitendum, ſi auctoritatem tanti Philoſophi, tametſi à noſtra fide, ac religione alieni, ſecuti fuerimus.

---

Hæc poſtquàm perorata ſunt, Academici ad inſtitutum redierunt. Socratis dogma.

*AEternum ne quære ſolo, ſunt omnia fluxa,*
*Omnia principijs deteriora ſuis.*
*Libertas non eſt ſtabilis, non fortia regna;*
*Cuilibet imperio teſſera mortis ineſt.*
*Publica res cecidit Romæ ſub plebe furente;*
*Principibus prauis imperiumq; ruit.*

*Vna eſt conditio, ſceptrum quæ tempora vincat,*
*Fortuna & quæuis neſciat arte mori.*
*Ne regnent homines, ſed lex, & iura, cauendum;*
*Eſt in præclaris legibus ipſe Deus.*

C. Marius. Nicoles.

*TEutonas, & Cymbros fudi; captiua Iugurthæ*
*Colla triumphali conſpicienda dedi.*
*Quicquid barbaricas fueram conatus in oras,*
*Id mihi felici contigit auſpicio.*
*Vt verti in ciues, Romanaq; viſcera ferrum,*
*Tum pereo, auctorem ciuica damna trahunt.*
*At noſtrum, patriæ ni mox lethale fuiſſet,*
*Haud veniæ indignum nomine crimen erat.*
*Porrò alijs exempla dedi, ſemenq; reliqui,*
*Ex quo natalem fœda tyrannis habet.*
*Iſte dolis meus affinis vir magnus, & armis*
*Impulit, excuſſi quas prior ipſe fores:*
*Syllam Pompeius non eſt in probra ſecutus;*
*At Mario Cæſar noluit eſſe minor.*

In Cornelium Cinnam. Philo.

*CInna, tibi, ne finge decus, non dia Sibylla,*
*Non auſpex Romæ deſtinat imperium;*
*Quo gaudes, non eſt regnum, furor ille, ſceluſq; eſt,*
*Et portentifici fulminis ira breuis.*
*Fulmen ſub ſpecubus moritur, ſub rupibus aſpris,*
*Idem ſub ſaxis mox tibi finis erit.*

In L. Syllam. Archias.

*QViſquis Syllanæ ſpectacula percipis iræ,*
*Sectaq; magnanimũ conſpicis ora ducũ,*
*Dic mihi ſub tantis odijs, & ſanguine tanto,*
*Syllane felicis nomen habere poteſt?*
*Infelix, cui nulla truci vindicta relicta eſt,*
*Hanc ſibi progeniem nolit habere pater.*
*Vexauere alij Romam vexare volentes,*
*Hic illam vafrè diruit inſtituens.*

Iulia Pompeij vxor. Lyſias.

*IVlia Pompeij perij, cum magna peribam,*
*Quicquid erat reliquum, dedecus illud erat.*

*Non vidi ſeu fata viri, ſeu crimina patris;*
*Haud dedit, eripuit me necis vrna malis.*
*Sum tamèn infelix, niſi me pereunte, nequibant*
*Eſſe miſer coniux, eſſe malus genitor.*

## De Lucretia, & Iulia. Gorgias.

*FAtales pulchræ geminæ tibi, Roma, fuere,*
*Vna eſt Lucreti, Cæſaris vna genus;*
*Vtraq; caſta fuit, magnoq; addicta marito;*
*Vtraq; deſeruit lumen amore viri.*
*Hoc non conueniunt, illâ moriente fuerunt*
*Expulſi reges, hac rediere tui.*
*Te porrò vtilior magnam Lucretia fecit;*
*Aſt, heu, quos duxit Iulia te ad cineres.*
*Indè nurus horrete, viri, neu fidite ſexu;*
*Vix & cum proſunt, haud nocuiſſe queunt.*

## Lucretia. Damaſippus.

*SI perdenda mihi fuerat vita, antè pudorem*
*Corruptum obijciunt me decuiſſe mori.*
*Sed vis non animum violato corpore fœdat,*
*Et geminat pœnam ſuccubuiſſe viro.*

*Sci-*

*Scilicèt hinc odi me me ipſam, crimen amanti*
*Scilicèt hoc ipſum ſic placuiſſe fuit.*
*Inſons non fueram, ſi me obtruncaſſet iniquus,*
*Hoc facit inſontem ſpontè perire mea.*

In C. Octauium Cæſarem Speuſippus.

*TV quoq; nil magni crudeli funere patris*
*Territus, Octaui, publica iura premis?*
*Et quæ Roma dedit pro libertate tuenda,*
*In libertatem perfidus arma refers?*
*Dices. Corruptos cohibere eſt gloria ciues,*
*Conſtare imperium nec ſine rege poteſt;*
*Quin Ianum clauſi deletis orbe tyrannis,*
*Ornauiquè forum legibus, arte domos.*
*Concedo; ſed nulla vnum virtute rependas*
*Crimen; es, abſoluat ni Cicero, vſquè reus.*
*Tantùm cuiquè rei ſapiẽtia præualet; vnum hoc*
*Cunctorum redimat fænore Roma caput.*

De Romana, & Veneta Rebuſpublicis.
Demaratus.

*ROma ſolo ſtabat ſolidè fundata patenti:*
*At fluidæ plebis publica Res pelago.*

*Extru*

*Extructa Vrbs Veneta eſt cõtrà nutãtibus vndis,*
*Vim firmam ſceptrō nobilitatis habet.*
*Propterea ſe ſe aduersùm nocitura tuetur*
*Longius; hoc præſtat, cætera nempè minor.*
*Quis credat ſtabiles exiſtere mœnibus vrbes?*
*Virtute exiſtunt, conſilioquè virum.*

## In Rempublicam Florentinam.
### Dionæus.

*A Spice, quam vario ſempèr Florentia motū*
*Aeſtuet, in populi dum ditione manet;*
*Non cædes, non bella modum ciuilia ſumunt,*
*Abſquè cruentatis nec fluit Arnus aquis.*
*Nàm licèt egregius ſurgat de puluere quiſquam,*
*Stet nequè conſilium ſanguinis arbitrio,*
*Natura moderante tamèn natalia iura,*
*Semina virtutis nobile germen habet.*
*Quàm Medicū debes globulis, Florētia (mirū eſt)*
*His vbi mobilibus nitere, firma ſedes.*

## In Maurum. Dares.

*Credideras trabea te dedecus abdere vitæ,*
*Si quando trabeam Conſulis indueres:*
*Nil aliud, Maure, at trabea fuit eſſe reuinctum,*
*Quàm ſcelus exponi ſplendidiore loco.*
*Multi non illud priuata in nocte videbant;*
*Haud nunc, haud oculos decipit iſta dies.*
*Parce; perit mixtum cum ſtercore, non nitet aurũ;*
*Aurea ſi facias ſtercora, ſemper olent.*

# POMPEIANA SEXTA.

COGITAVI ſæpè mecùm, Viri clariſsimi, quamobrèm fiat, vt cùm vnuſquiſq; aut nunquam mori, aut diutiſsimè viuere natura cupiat, tamèn nemo ſit, qui futuros dies, menſes, annos, propiora morti tēpora flagrantiſsimè nòn expectet, geminaſquè huiuſmodi affectiones inter ſe pugnantes intimè enutriat. Illud verò ambigenti diù mihi in mentem venit ad partes fortaſsè hominis harum originem referendam; nàm cum homo anima, & corpore conſtet, corpuſq; quod eſt mortale, immortalitatem auidè concupiſcat, anima, cui immortalitatem, quam obtinet, quærere non eſt neceſſe, felicitatem oppidò inhiat, quam cum nequè heri, nequè hodiè ſit conſecuta, ad

aliud tempus properat deſiderio, quo ſe beatam fore ſperat, & fingit; & quemadmodùm illa corpori præſtat, ità & vehemētiùs ex innatis cupiditatibus incaleſcit. Propterea tantus in animis mortalium futurarum rerum notitiæ eſt amor, vt nullam diligentiæ partem omittant, quò eam aſſequantur, nec modò inanes, & ſutiles adhibeant imagines, ſed plerumquè impias, & diuinis legibus aduerſantes. Indè ortus ſortium vſus, ſomniorum interpretationes, prodigiorum obſeruationes, atq; alia diuinationum genera multiplicia, quę vel ipſe deriſit ductu Naturæ Tullius, cũq; initio mortales animaduerterent plurima, quæ ad naturam pertinent, à Cœlo pendere, vbertatem, indigentiam, tempeſtatum viciſsitudines, imò & corporum valetudinem ex aſtris ſignificari, & ſæpè produci, eamdem ijs ineſſe vim ad fortuita denuntianda, atquè etiàm procreanda conſtantèr putarunt, in ijſquè ambagibus curioſiſsimè inueſtigandis omni ſecu-

lo

lo incubuerunt; necnon eò deducta res fuit, vt quamquàm cognita artis inſania fidem amitteret, Chaldæiquè, & Mathematici exilio, & dedecore mulctarentur, ea tamèn nunquàm deſierit, & Imperatorum, Regũque cultores, pleroſq; habuerit, qui ſpecie recuſantiũ, quos palàm oderant, ſecretò amplectebantur: genus hominum teſte Tacito ſemper eiectum, ſempèr quæſitum, cui fati quaſi arcana credita ſint. Sed non rarò mortales creduli ſui, aut erroris, aut ſceleris pœnas luunt, cum ab ijs decepti, & ludibrio habiti prò felicitate ærumnas, prò opibus egeſtatem, prò honoribus ignominiam reperiunt. Itaq; deſperatis omninò rebus, cruciatibus afflicti intimis ad interitum celerrimè delabuntur. Hoc à nobis in re propoſita leuitèr attingendam fuit, proptereà quod Politicis, atquè innatis Rom. Reip. corruptionis principijs, de quibus proxima actione diſſeruimus, ſuperiora adijciunt, fortunam nimirùm, fatumquè, quæ ſe-

cundo loco ſuccedit quęſtio. Florus quippè ait inter cæteros præcipitantibus Reip. fatis raptum fuiſſe Pompeiũ ad dimicandum. Qua de re Philoſophi veteres multa dixerunt, multa Chaldæi, & ſciẽtiam ſyderum profitentes; nam cum Imperia, vt reliqua omnia, ſuos ortus, ſua incrementa, ſuos interitus habere neceſſe ſit, inferioraq́; à ſuperioribus regi, & certa dimenſione, ac tempore definiri, plerique Philoſophorum res tàm fortuitas, quàm fatales fortunæ nomine, quam Deam fecerunt, promiſcuè appellant, vniuerſaquè ſub eius nomine comprehendunt: alij diſtinguunt; In cauſis enim ambiguis, incertis, obſcuris, atquè à cognitione noſtra remotis Platonici fortunam ſtatuunt. Peripatetici, atquè ipſe Peripateticorum Princeps Ariſtoteles, apertiùs inquiunt fortunam eſſe cauſam obliquam, & per accidens ratione vtentibus, atquè ex electione agentibus, fortuitáquè illa ritè haberi, quæ prætèr conſilium gerentis, & propoſitum finem

nem

nem accidunt, quibus quidèm rebus nullam inducunt neceſſitatem, & poſſe contingere, ac non poſſe perindè arbitrantur. De fato ſecùs, cui cum neceſſitate indiuiduam intercedere affinitatem affirmant vt plurimùm. Modum autèm literatorũ Phœnix Io. Picus 4. aduersùs Aſtrologos libro explicat elegantèr, & quatuor veterum ſententias recenſet. Fatum enim nonnulli naturam dicunt, quæ ad electionem, felicitatem, miſeriamquè pertinent, prorsùs excludunt, cum pleraquè in ipſa natura vitari nequeant, mors præſertim, quæ idcircò apud Poetas fati nomen ſortita eſt. Alij cauſarum ſimùl nexarum, quæ neceſſitatem contineant, ſerie ſempiterna fatum conſtare ſenſerunt. Stoici vt plurimùm, & cum ijs Cicero, qui huiuſmodi cauſarum ordinem, nexumquè ex omni æternitate fluentem veritatem fatum appellauit. Seneca itèm, qui neceſſitatem rerum, actionumq; quam nulla vis rumpat, fatum putauit. Chriſippus quoquè,

qui ſempiternam quandam, & indeclinabilem rerum ſeriem definijt. Boëthius demùm, qui inhærentem eſſe dixit rebus mobilibus diſpoſitionem, qua diuina prouidentia ſuis quæq; nectit ordinibus (aurea propterea Platoni catena) atquè omnes immutabili, ac certa lege ad ſuos effectus inſtituit naturæ cauſas, quæ quidèm neceſſarijs in rebus neceſſariò operentur, in liberis liberè. Alij in clariſſimis cœli ſtellarum globis domicilium fati fixerunt, exiſtimaruntquè eodem modo genituras Ciuitatum, dominationumquè poſſe fieri, quo hominum fiunt, & iuxtà eundem ſitum aſtrorum, ſub quo eorum prima iacta ſunt fundaméta, affectas Vrbes, Resq; publicas euentis ſubeſſe, cui quidèm ſuperſtitioni etiàm pleriq; Mathematici noſtri temporis conſenſerunt. Alij poſtremò diuini executionem conſilij fatum dixerunt. Plotinus verò cum de ſyderibus, deq; cauſarum occultarum nexu opiniones recenſeat, confutetquè, alias etiàm

antiquorum duas affert, quarum altera ad atomos, & principia corporea res ſingulas referens neceſſitatem cogitationibus indè etiàm inuehebat, altera ab anima mundi vniuerſa pendere docebat. Ità proùt quiſquè aut parùm, aut multum luminis in tenebris vidit, ità fati naturam deſcripſit. Fortunæ omnia Epicurus ſubiecit, niſi potiùs fortunam ſuſtulit, adeò enim fatuo caſu cuncta contingere exiſtimauit, vt omnem penitùs rerum cauſam è mundo deleuerit. Stoici in aduerſum ſcopulum lapſi vniuerſa fato, & neceſſitati obtemperare voluerunt, nihil libertatis, aut electionis mortalibus reliquerunt. Nequè defuere qui execranda, & deteſtabili opinione Deum quoq; fati legibus illigarunt. Itaquè Iuppiter apud Homerum magnoperè queritur Sarpedonem filium vi fatorum opprimi, ſibiquè ad ſalutem viro parandam nullam ſuppetere poteſtatem. Vlyſſiſquè reuerſionem fatorum iure firmatam prohibere ſe non poſſe Neptunus do-

dolet. Plato mediam quandam viam inire poſtremò de Republica libro videtur. Vnum quippè Deum cum poſuerit principem, ac parentem cæterorum, hunc Dijs ijſdem ad mundi machinæ moderationem, ac regimen certa munia, & partes tribuiſſe principiò affirmat, ac ſempiternis firmaſſe legibus, quibus neceſsitatis, fatiq; nomen indidit; neq; tamèn electioni vim afferre, ſed in noſtra eſſe poteſtate quid optemus, ordiamurquè, at poſtquàm orſi fuerimus, ea nobis deincèps neceſſariò toleranda, quæ ab huiuſmodi legibus impendent, quippè quæ nulla ſapientia, nullo labore, nulla induſtria vitari valeant; cumquè Laius liberos vltrò genuerit, cum abſtinere potuiſſet (quod exempli gratia dictum ſit) ab vno, quem genuit, interfici debuiſſe. Nequè defuere qui ad fortunã quidèm res priuatas, ad fatum publicas retulerunt. Prima de fato ſententia ad noſtram diſputationem minimè pertinet. At nexus ille, ſeriesq; im-

plexa cauſarum ineuitabilitèr agentium, quæ ſecundo loco afferebatur, aut prouidentiæ pars eſt, aut cum abſtruſa admodùm, arcanaquè ſit, nequè humano ingenio facilè comprehenſa, ipſius cognitio penès auctores manet. De tertia, quæ aſtris inſidere fatum ſtatuit, haùd leuis eſt quæſtio, nàm Philoſophi notationem duntaxàt ſyderibus tribuunt. Quò videtur pertinere illud S. Geneſeos. *Sint in ſigna*. ſignificare quippè ſtellas aiunt Origenes, & Plotinus, non cauſas eſſe, atquè ità ſe habere cæleſtes orbes, vt apertum quendam librum, in quo quæcumquè futura ſunt, ſyderum characteribus exarentur. Quod quidèm ſi ad res, quæ ad naturam pertinent, referatur, ſubſcribere non recuſo, ſin ad fortuitas, aut electione liberas, minimè aſſentior. At Mathematici haùd notationem modò, verùm etiàm efficientiam ijſdem adſcribunt, & negatos ab Ariſtotele influxus adeſſe opinantur. Iouem enìm, Solem, Venerem benigna ſydera

mo-

moderatè regnare prædicant, bonos ciues, iuſta Imperia creare, Martem ardens, violentum, cruentumquè aſtrum in ſeptimo præſertìm ab Horoſcopo loco conſtitutum ingentes bellorum procellas, inuſitataquè cladium pericula cùm demonſtrare, tùm gignere. Si cum Saturno còëat iniquiſsimo Planetarum, tùm verò omnia horribilibus miſcenda calamitatibus, conuellenda, ac penitùs eruenda. At verò quæ tot, ac tantæ virtutes ſtellarum ſint viri grauiſsimi, qui hac de re ſcripſere, conſequi animo neutiquàm valent, cum ad res futuras relatæ vel ſignificandas, vel efficiendas; quæ infinitæ, variæquè ſunt, vno, eodemquè ſempèr immutabilitèr ſe habentes vultu, nihil pertinere videantur; nequè reperiunt, qua ratione adeò polleant ſuperni influxus in ortu rerum; nàm ſi quælibet ſtella, vti conſtans eſt opinio Philoſophorum, omnem terræ ambitum magnitudine excedit, ipſequè terræ ambitus punctum eſt, quò influxus

aſtrorum omnes vndiquè delabuntur; quì fieri poteſt, ne inuicèm interſecentur? inuicèm miſceantur? aut ſaltèm alter alteri ex nimia propinquitate impedimẽto ſit, præſertìm mira velocitate currente cœlo, nequè vno in loco momento tẽporis conſiſtente? Quod ſi nulla confuſio fiat, quis ſit oculus tam acutè perſpicax, qui diſtinguat? eaquè intelligat, quæ remotiſſima ſunt à nobis, qui ignoramus infinita, quæ propè ſunt? Etenim in tanto, quo cœlum diſtat à mortalibus, interuallo, nullam eius nobis cognitionem aiunt eſſe poſſe, præter illam, quæ pendet à viſu, lucemquè, figuram, quantitatem, motum, obiecta vniuerſalia, extrinſecè ſpeculatur: Senſus ea in re operantur præterea nulli; Pythagoraſquè à Peripateticis non auditur, qui auditum auctorare conatus eſt, & circumlabentium orbium colliſione ſonos harmanicòs in ſuperis ſomniauit, nequè enim auribus excipere potuit. Nequè prætercam Plotini argumen-

mentum ſanè præclarum ; ridet enim vir ſapientiſſimus Mathematicos, qui ex genituris infantium parentum nobilitatem, quæ illarum vtiquè anteceſſit conſtitutionem ſtellarum, quæ in ortu natorum fuit, atquè è genitorum Horoſcopo filiorum fortunam prædicunt. Addunt ijdem viri grauiſsimi, ſi ea vis cœlo, quod eſt incorruptibile, atquè idcircò nec mutari, nec falli poteſt, vniuerſa, quæ ab eo aut portendantur, aut fiant, neceſſaria conſecutione, non fortuitò, non contingentèr, at certa lege, atquè ineuitabilitèr aduentabunt; nihil in mundo liberum, captiua ipſa mortalium voluntas, bona, malauè coactè, & ſtatuto fluxu manabunt. Tandèm ne progrediamur in infinitum, cùr Deus optimus, ſapientiſsimuſquè Idololatriæ, quam tantoperè deteſtatur, fontem mortalibus aperiret? quæ enim occaſio maior colẽdæ militiæ cœli, & nullius præterea Numinis adorandi, ſi fortuitarum quoquè rerum ſignificatio, atquè efficien-

tia tributa ſit ſtellis, quas idcircò ex ſen-tētia auctorum grauiſsimorum poſt creatas herbas, arboreſquè in cœlo defixit, ne ſi priùs factæ fuiſſent, ab ijs, atquè à ſole præſertìm creata germina putarētur? Hæc autèm, quæ doctiſsimorum virorum, vti memoraui argumenta ſunt, nihil vrgeant, demus eximiam virtutem ſtellarum eſſe, demus ad res peculiares definitos influxus abſquè impedimento recto tramite permanare, demus Aſtrologos vnà cum Pythagora in cœlo verſari, & ſingula propè dijudicare, demus eorum nihil eſſe, quæ contrà facere videntur. At ſi ex vrbium, ac regnorum natalibus iuxtà aſtrorum poſitiones imminentia euenta, occaſuſquè ipſos metiri velimus, haùd profectò facilè ſtatui poſſe ſubijciunt, quid obſeruare debeamus, cum Imperia ſaluis vrbibus ſæpè intereant, rursùm vrbes ſaluis Imperijs ruant, quandoquidèm cum Romana Reſpublica ad occaſum peruenit, vrbs ipſa vſqueadeò ampliòra incrementa cepit,

pit,

pit, vt quam lateritiam inuenit Auguſtus, hanc ſe marmoream in exceſſu relinquere gloriatus fuerit. Prætereà cæmenta, ligna, lapides, res inanimes, ac ſenſu carentes affici ſanè ridiculum; quod ſi afficiantur, ea res ad magnificentiam, ſtructuramquè ædificiorum, ſeu eorumdem ruinam, & caſum potiùs pertinet, quàm ad ſtatum dominationis ſignificandum. Sin dicant in ciuibus huiuſmodi affectionis imprimi characterem, à quo futuri caſus originem ducunt, ritè quidèm ſi ciues illi ſint ſempiterni, nequè perpetuo fluxu, & viciſſitudine mutentur homines; quamobrèm qui primi à ſyderibus paſſi ſunt, ac deindè ex humanis ceſſère, longa poſt ſeculorum interualla ſecuturis & obeſſe, & prodeſſe poſſint, aut ſi in vno ſubiecto potentiam, vt philoſophantium ritu loquamur, in altero actum locandum putemus, atquè ex hoc agro eam ſegetem colligere velimus, quæ in alio ſata eſt; quæ res & Philoſophiæ, & ſenſui planè repugnant.

At

At inquiunt Matematici ciuium conuentum, & ſocietatem, atquè ipſam conſtitutionem, corpúſquè Reipublicæ, quod & Cicero æternum appellauit, huiuſmodi diſpoſitionem à ſyderibus caperè poſſe, quæ ſera euenta gignat, & pariat. Sed percontantur alij, cum inſtituta, leges, formaquè Reipublicæ nuda ratione, ac literis conſtent, quam rem aſſici contingat? Quòd ſi hæc ipſa poſſe affici conceſſerimus, qua hora, quo temporis momento initium eius rei ſtatuere, ac firmare debemus, quæ dies quamplurimos, & ſæpè annos requirit, vt ſtabiliri, firmariquè valeat? Etenim ni momentaneam affectionem ponant, ictuquè Cœlum notam imprimere fateantnr, nequè breue tempus nihil obeſſe fabulentur, argumentis ludunt inanibus, atquè eadem vitæ ratio gemellos fouebit; quod quàm abſurdum, atquè à veritate alienum ſit, quotidiè videmus, atquè in antiquiſsimis exemplis Iacob, & Eſau docere poſſunt. Si afficiatur, inquam,

quam, ſorma illa Reipublicæ, quæcumq; ſit, quæ tandem coitio, & vis luminum tāta eſſe, & tàm efficax poteſt, vt cum è Peripatetico penu habeamus effectum à cauſa attingi oportere, quę hoc tẽporis momento ſecuta eſt, eadem poſt remotiſsimum annorum ſpatiũ, mutatis ætatibus, conuerſiſq; rebus omnibus ſuum effectum ſortiri debeat? Illis hoc loco Mathematici reſpondebunt nihil eſſe cauſæ, cùr nequeat, cum plurimæ, quæ intercedunt coitiones ſyderum, & Planetarum, affinitate quadam, mutuiſq; inter ſe notis inuicèm copulentur, & cõtinua quaſi catena ad illam ſupremam tranſmittant ſuam vim, quà Reipublicæ fatalis terminus continetur. Acutè profectò. Mihi verò, cum diſputare de re, quam Eccleſia Catholica profligauit, nequè velim, nequè debeam, cumquè aliud præterea mihi propoſitum minimè fuerit, quàm alienas opiniones perquàm breuitèr innuere, vt cauſæ ſeruiam, tamèn liceat hoc vnum dare curioſitati, vt eos in-

ter-

terrogem, cum cœleſtes cauſæ conſenſione Philoſophorum ſint vniuerſales, quãobrèm fiat, vt eiuſmodi coniugatio, quæ tot poſteras ſecum trahit, in vnius rei natalibus polleat, non autèm in omnium? quomodò affines illæ luminum coniunctiones vnam ſempèr metam reſpiciant, ad vnum ſempèr ſcopum ferantur, cæteros negligant? qua ratione, quæ diù felicitatem attulerunt, excidium demùm afferre valeant? ſed ſua ipſi deliramenta pertinaciſsimè tueri volunt, atquè illud in primis perſuadere contendunt adeò veras eſſe à ſyderibus affectiones, vt ipſa etiàm inter ſe ſydera, quaſi Homeri Numina, vulnerentur, & vel ipſe moderator, ac princeps luminum Sol à coitionibus, & nexu cœleſtium corporum patiatur. Neq; vllis ab inani ſententia rationibus dimouentur. Satìs autem pro dignitate Cardani, Gaurici, Alliaci, atq; aliorum eiuſdem notæ literatorum amentiã mirari nequeo, qui maximarum ciuitatum, & regnorum ori-

origines, incrementa, decrementa, exitus ad Horoſcopi themata traduxerunt, atquè inanibus fabulis rudes animos imbuerunt; multa cum natura pugnantia, multa cum arte, multa cum veritate hiſtorica, quæ longum eſſet enumerando recenſere, effutierunt, cum Romanam præſertim, Conſtantinopolitanamq; Ciuitates à primoribus crepundijs expiſcari nō dubitarunt; Cardanus in primis, qui adeò ſuperſtitiosè, ad oſtentationem fortaſsè ingenij, cuncta vanitatibus aſtrologicis implicauit, vt non ſolùm in fundamenta, primaſquè vrbium ſubſtructiones, ſed in ipſam quoquè annularium lapidum inciſionem, dolaturamq; influere ſtellas ſtultè tradiderit. Vidit etiàm leuitatem commenti Cicero, & ſecundo de Diuinatione libro L. Tarutium Romæ repetentem natalem diem diſertiſſimè confutauit. Ingens autèm Alliaci in primis oſcitatio videtur eſſe, qui Horoſcopum mundi fundauit, eiq; orienti illorum ſyderum puerpe-

peria, atquè affectiones tribuit, quæ quarto poſt prima fundamenta die creata, & perfecta ſunt.

Exploſis inſanis hiſce, ac longinquis affectionibus in natali oppidorum, alium Mathematici modum confirmandæ ſuæ opinionis adinuenerunt, quo ſanè ampliſsima ſtellis auctoritas tribuatur, & rem ad motum potiſsimùm referunt; cũ enim Cœlum ex Peripateticorum ſententia per motum, & lumen agat in inferiora; vna abſoluta cœleſtium orbium reuolutione, altera inchoata, ſtatum itèm terreſtrium rerum commutari oportere arbitrantur. Quod fortaſsè ad modum ſecundæ de fato ſentẽtiæ referri poteſt, quo certa illud cauſarum ſerie conſtare accepimus, quæ nullo impetu frangi valeat: nil quippè in hac rerum vniuerſitate certius eſſe aiunt, quã itinera cœleſtium corporum. Itaquè ſuas Imperijs periodos octauę, nonę, ac decimæ ſphæræ conuerſionibus, quæ plura annorum ſpatia, & ſecula comprehendunt, defini-

finitas conſtitúerunt, octauæ præſertim, cuius terminus quadragintanouem millibus annorum latiſsimè continetur, atquè annum maximum, & Platonicum conficit, ſic propterea appellatum, quòd eiuſmodi eum ſore putauit Plato, vt vniuerſæ mortalium res ad primęuum ſuum ſtatum remigrent. Et quoniàm adeò diſsita, & remota longinquitas ad res, quæ quotidiè fluunt, parùm facere videtur, ad minorum etiàm orbium motum, & proximiores reuolutiones rem deducunt, quæ cum haudquaquàm ſine coniunctionibus aſtrorum eſſe ſoleant, hùc idcircò reuocant coitiones Planetarum, quæ cum certa temporis dimenſione, ac recurſu fiant, mutationes etiàm vel ſaltèm perturbationes in rebus humanis haùd longè petito, ſed præſenti vulnere pariant. Quod vt cognitione percipi valeat, breuitèr paulò altiùs Aſtrologorum repetenda diſtinctio eſt; qui quidèm cum ſuperiorum trium, vel duorum ſaltèm Planetarum concurſum

ſum exiſtiment dominationibus eſſe fatalem, triplex genus coniunctionum ſtatuunt, vnum, quod maximas continet, aliud, quod medias comprehendit, tertium, quod minores amplectitur, quas Zodiaci quocumq́; in ſigno formari contingat, præſertim maiores, vim ſanè magnam ad conuerſiones rerum mortalium habere autumant; at ſi in primam Arietis partem incidant, quod niſi poſt ſpatium ſeculorũ ſanè infinitum per naturam eſſe nequire conſiderant, tùm verò clades, atquè excidia regnorum eſſe, ſi in quamcumquè eiuſdem ſigni poſitionem ſe ferant, grauiſsima itèm rebus imminere incommoda, quæ publicum ſtatum conuellant. Alij vim Scorpio maiorem tribuunt, quæ quidèm apud illud ſignum conſpiratio ciuile Pompeij, ac Cæſaris bellum, & conuerſionem fortunæ Romani populi, niſi falluntur, paulùm præceſsit. Cum autèm abſides Planetarum mutari contingit, tùm verò & regna, & religiones

nes ſuberti, terrarumquè tractus aliquos ſolos, atquè inhoſpitos fieri aſſerunt. Maximam Saturni cum Ioue coniunctionem in annum quemq; ſeptingenteſimum nonageſimum quartum, dieſquè triginta vnum ſuprà ducentos cum quadrante cadere inquiunt, quæ ſi ex trigono aqueo in igneum tranſeat, fortiſſima habetur. Qualem fuiſſe aiunt, quæ nupèr anno ſexcenteſimo tertio ſuprà milleſimum haùd procùl à corde Scorpij facta eſt, itaquè diſſenſiones, bellaquè maxima, nec non extinctionem Turcici Imperij propè adeſſe Mathematici noſtri temporis vèditarunt. Sub eâ, quæ hanc proximè anteceſſit Romanum Imperium vbiq; labefactatum à Francis erectum eſt. Poſt aliam abſoluto myſterio ſalutis humanæ ingens mutatio eſt orta Politici, Religioſiquè Romæ ſtatus, Petri ſedes fundata, Iuliana domus euulſa, Imperatores cæſi complures, bella ciuilia; bella externa. Ad antiquiorem reuocant Romam conditam, Aſſyriorum, Medo-

rumq; tranſlata ad Perſas regna. Ad aliam Hebræi populi ex Ægypto egreſſum. Ad vetuſtiſſimam Diluuium Noè,tametſi ducentis ampliùs annis eo nexu poſterius fuerit. Quarũ quidèm rerum pleræquè ſunt, quibus ſacræ literæ iuſſa Numinis cauſam tradunt,neq;Albumaſarem,& cũ eo quiqui ſentiunt,ab impietate tueri valeo. Medias etiàm, atq; infimas complura, eaquè magna patrare affirmant, ſeù ſua vi, ſeù virtute maximarum, quas ſe habere dicunt, vt radices germinantes, medijs florem, minoribus fructum adſcribunt, vt quæ prima, & potior diſpoſuit, perficiant reliquæ. Quæ res ad catenam illam affinium coniugationum, de qua ſuprà mentionem habuimus, proximè accedit. Propterea cum ſuperiore ſeculo concurſus Planetarũ quidam in Piſcibus factus eſſet, totus terrarum orbis magnis vbiquè tumultibus æſtuauit; Germania ab Hæreticis perturbata; Roma ductu transfugæ capta,& direpta;nutauit Reſpublica Genuen.

ſis,

ſis,Florentina conuerſa eſt, Caroli Romanorum, Solymani Turcarum Principum armis humanum genus exhauſtum. Has autèm coniunctiones à peculiaribus aliarum ſtellarũ nodis,progreſſionibus, aſpectibus, directionibus magìs, minuſuè adiuuari memorant, vt ocyùs, ſeriuſuè ſuos effectus ſortiantur.Quarum omnium rerum fides penès ipſos auctores ſit.Nàm ſi bella, tabes, regnorum perturbationes ad huiuſmòdi cauſas reuocandæ ſunt,cum aſſiduè accidant, aut aſsiduos luminum nexus non expectatis ſtàtis temporibus eſſe oportet, aut has aniles fabulas pueris oppidò decantandas. Iàm verò Hebræi, & Cabaliſtæ non ad ſtellas, & motus, ſed rem ad numeros, vt plurimùm referunt. Plato quoquè, & Ariſtoteles certis quibuſdam numeris inſtitutione Numinis concludi, ac definiri Reſpublicas, vt ſtàto tempore intereant, exiſtimarunt. Et Io. Picus ſeu fidem adhibens, ſeu luxuriante ingenio eam vim numeris tribuit,vt etiàm

Theoremata maximarum diſciplinarum per eos publicè ſuſtinuerit. Ego verò tarditate ingenij mei valdè preſſus nequaquàm inuenio, quæ virtus ineſſe numeris valeat, qui ſola ratione conſtant. Quòd ſi quis exempli gratia in conſeſſu ſecundus fuerit, mòx idem tertium obtineat locum, haùd ſcio; cùr vi numeri, etſi laudatiſsimi, cuius nihil in ipſo eſt, debeat fortunam mutare, cum iure proprio, innatoquè non mutauerit; nequè à ſuperſtitione video quomodò eſſe poſsint alieni, qui hæc obſeruant in ludo. Si autèm obijciant Pythagoræ ſolis numeris conſtare doctrinam, Auenzoar Babylonij celeberrimam fuiſſe ſententiam, omnia ſcire, qui nouerit numerare, Platonem ipſum dixiſſe hominem eſſe animal ſapientiſsimum, quià numeros calleat, reſponderi videtur poſſe huiuſmodi clariſsimorum virorum dicta ad myſterium referri, nequè propriè, ſed metaphoricè pronuntiata, vt iuſtitiam nimirùm, cæteraſquè virtutes ſignifica-

rent; nâm vt in numeris omnia ſuo ſunt loco, atquè ordine conſtituta, ſecundus poſt primum, tertius poſt ſecundum, atq; ità deincèps, ſic iuſtitia, cæteræquè virtutes in eo ſitæ ſunt, vt vnicuiquè tribuant ſuum, reddantquè Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo, non rationi cupiditas, non ęternitati momentum temporis præferatur; quod & in ijs rebus locum habet, quæ ad naturam pertinent, omnes quippè commenſuratis proportionibus, & iuſto ordine continentur. Tamèn tantis Philoſophis, qui vim propriam numeris tribuerunt, plurimùm deferendum cenſuit ſempèr Reſpublica literaria; dequè myſterijs numerorum ità ſcripſit Petrus Bongus, vt ijſdem è ſacris literis auctoritatem ſummam impartiens, cuilibet perſuadere poſsit non inanem eſſe doctrinam. Igitùr ſeptenarium verentur maximè, qui in natura magnoperè pollet, qui dierum curriculum claudit, qui oriente mundo puerperio Creatoris adſedit, qui

errantium ſyderum globos amplectitur, qui Lunæ incrementa, & decrementa metitur, qui critica tempora, & periodos ægrotis diſtribuit, qui ad marium valetudinem, ad vitam, ad interitum multus eſt, ſeptimum enim quemquè ætatis annum naturæ vniuſcuiuſquè notam imprimere neminem latet, atquè anni in primis ex hoc numero climaterici mortalibus ſunt timendi, qui ſyderum etiàm domicilia longe tranſgreditur, & prout è ſacris de Tobia ſcriptis haurimus, primariorum circunſcribit coronam ſpirituum; nequè demùm magnificum, ac præclarum quidpiam vel in natura, vel extrà conſtituit ſapientiſsimus conditor Deus, in quo ſeptenarius hic numerus mirificè non eluceſcat. Ex tribus enim, & quatuor conſtans vniuerſitatem rerum tàm diuinarum, quàm humanarum, tàm incorporearum, quàm materialium amplectitur. Ternarius quippè numerus marium primus, qui ex trinis vnitatibus æqualitèr conglobatur,

tur, ſempiternam in diuinis perſonarum Triadem pulcherrimè repræſentat; prætereà Deum, Angelum, animam. Apud Ethnicos Mineruæ ſapientiæ Deæ addictus erat, in ſacrificijs tanquàm ſacer adhibebatur, Vates è tripode prophetabant, & poſt Chriſtum Seruatorem in cæremonijs Eccleſiæ myſticis frequentior eſt, atquè omninò ex antiquiſſima inſtitutione pertinuit ſempèr ad res diuinas; quæ notiora ſunt, quam vt auctoritatibus comprobentur. Quaternarius autèm res humanas, & corpore præditas comprehendit, quatuor enim elementa ſunt, quatuor humores, qui in corporibus dominantur, quatuor primæ qualitates, & plura id genus. Addo cum ternarius ſit mas, quaternarius fœmina, per ſeptenarium propagationem etiàm viuentium ſignificari. Nequè verò, vt à pleriſquè fit, damnandi videntur Cicero, & Plutarchus, quòd ille ſeptenarium numerum plenum dixerit, hic perfectum, cum

perfecti ſint pares, ſed interpretandi, cum plenitudinem, perfectionemquè non ad naturam numeri, verùm ad myſterium vterquè retulerit, atquè imparem numerum Pythagoras præferendum admonuerit, quem Maro quoquè ſecutus eſt.

*Numero Deus impare gaudet.*

Quocircà ex multiplicatis ad certam continuationem ſeptenarijs, mutationes rerum fluere, imperia occidere, nouas in orbe terrarum regnandi leges oriri conſiderant, & quingenteſimum in primis annum, aut quadringenteſimum nonageſimum ſextum, qui ex integris ſeptenarijs ſeptiès ductis, & perfecto conſtat numero, ità nouis rebus accomodatũ ſtatuunt, & firmant exemplis, vt ciuitatum omninò ſtatus, aut conuertatur, aut euertatur. Nequè enim Platonicum immenſæ virtutis numerũ ad huiuſmodi viciſſitudines octauo de Republica libro deſcriptum aſſecutus eſt quiſquam; ſed quaſi religione ſacrum venerabundi cuncti interpretes præteri-

teriere. De quingenteſimo autèm conſtat: Platonem, cum harmoniæ Rempublicam comparaſſet,ità ſenſiſſe, vltrà quintum ſeculum abſquè mutatione perueniri neutiquàm poſſe; proptereà quòd nullus ſimplex vltrà quintum ſonus exiſtat. Sin verò quingenteſimum noſtrarum inſtitutionum myſterijs dijudicemus, cum eadem ex Peripateticis contrariorum ratio ſit, hic numerus, qui ex ipſius Veritatis verbis indicit & probis gratiam, & pœnitentibus remiſsionem, malis profectò ſupplicia decernet; in quaternario enim cum iuſtitiam ponant Pythagoræi, ſi quatuor ſeculis Reſpublicæ iuſtitiam violauerint, nequè ad pœnitentiam reuerſæ fuerint, illas in quinto pœnas luere, atquè euerti æquiſsimum eſt. Quem ad terminum cum ab exactis Regibus ad Pharſalicam pugnam Populi Romani dominatio propè acceſsiſſet, ità ex vi numeri deficere debere videbatur, vt ex virtute motus, coniunctioniſquè ſuperiorum Planetarum

poſt annum ſeptingenteſimum ab vrbe condita ciuium ſtatus fortunam mutare. Quod verò ad Pompeij noſtri perſonam pertinet, qui ſeu Aſtrologicæ diſciplinæ, ſeu numerorum myſticis notis perſcrutādis operam nauant, ij in plures partes diuidunt vitam hominum, atquè alia ratione ſe habere aſſerunt ſalutem, atquè fortunam vna ætate, alia altera, & quintum in primis ſuprà quadrageſimum vitæ annum mutationi aſsignant. Quod ſi quis priorem vitæ partem aut ſanus, aut felici vſus fortuna traduxerit, eundē in ſequentibus conſtare ordinem eſſe difficile; sìn ſecùs, ab aduerſis ſæpè euentis ad felicitatem, ab aſsiduis morbis ad valetudinem homines tranſgredi. Ex quo fortaſsè factúm eſt, vt vulgari prouerbio vſurpetur, quæ infirmitas mortali iàm ætate prouecto prima contingit; eandem extinguere, cum nulla vſquè ad exitum ſors proſpera perſeueret. Quare cum Pōpeius apud mortales nunquàm fuiſſet, niſi beatus, ſic ætatis

tis

tis iure exigente, quæ prima illi calamitas obtigit, ab eà profligatus, atquè oppreſſus omninò fuit. Conſentire videtur etiàm climatericus annorum Pompeij numerus, in ſexto enim, & quinquageſimo, qui ex octo conſtat ſeptenarijs, vrbe excedere coactus eſt; biennio pòſt eidem fortunæ obnoxius ſupremam cladem accepit. Quæ rationes ad medias cauſas, vt ità appellem, pertinentes, vti prætermitti in huiuſmodi argumento nequaquàm debuerant, ſic eas nobis leuitèr attingere ſatìs fuit. In quarũ aliqua viſnè inſit, ſaluo sẽper grauiſsimo parentis Eccleſiæ iudicio, veſtri eſt, Auditores, ingenij, doctrinæ, ſapientiæ dijudicare; non enim ad meam imbecillitatem ſpectat de re tanta, multiplicibuſquè difficultatibus implicata ferre ſententiam. Ego proximè ad diuinam prouidentiam, tamquàm ad aſylum, atquè arcem confugiam, imperitiamquè meam illuſtrandam Numini tradam.

Excepta non ſinè plauſu huiuſmodi Politiæ Aſtrologicæ curioſa confutatione, Academici conſueta afferre ſimbola non omiſerunt. Socrates.

*SCrutantur miſeri mortales ſydera, vires*
*Qui dat ſyderibus, deſeruere Deum.*
*Indè fides aſtris, ad criminis ille piamen*
*Vti cum patitur viribus illa ſuis.*
*Eſt Deus in rebus, petit hinc præſagia fatum,*
*Non exit fulmen, ni iaculante Deo.*
*Ne ſperes clarum diadema innectere fronti,*
*Si digitum lædas, qui diadema tenet.*

Philo.

*ORbem Pompeius vicit, non Cæſaris arma;*
*Orbis erat ſolo Cæſare quippè minor.*
*Non ità, ſed fati Cæſar cum numine iunctus*
*Maius, quàm rerum machina, pondus habet.*
*Lance pari libretur onus, fatumq; faceſſat,*
*Quicquid erit, proprio munere Cæſar erit.*

*At*

*At decus eſt Magno victori occurrere fato,*
*Conſerere & cauſa prò pereunte manum.*
*Nota viri virtùs alibi, nunc cernis amorem;*
*Quæ patriæ præſtet maxima, ſemper habet.*

Nicocles.

P*Ræ cūctis Magnus mortalibus iuit in armis;*
*Nūc minor haud vno eſt Cæſare, ſed ſuperis,*

Cornelia Pompeij vxor. Archias.

Q*Vid mihi cum fatis? quòd ſi ſub ſydere triſti*
*Nata fui, in ſponſos cur cadit ira meos?*
*Parthia iure meo Craſſum obruit, Africa Magnū,*
*Sic fera contagem vulnera ſortis habent,*
*Me me adſum, infames populi, me figite ferro,*
*Antè nocens fueram, quàm mihi vita foret.*
*Non ego palma leuis ſoboles Cornelia, tantùm*
*Enituit virtus inclyta Scipiadum.*
*Sed iam actum eſt; miſera heu nimiùm, quòd me mea fata*
*Perdere non poſſunt, quæ potuere viros:*

Ad

Ad Scipionem Pompeij Socerum. Lyſias.

*SCipio, ſi Lybiam ſpectas, dabit illa ſalutem,*
*Conſueuere tui quà ſuperare patres.*
*Si reputas etiàm virtutem, inuicta fuere*
*Perpetuò generis Martia tela tui.*
*Sed vereor coniuratum cum Cæſare fatum,*
*Nec Libyca Antæo profuit ora ſuo.*
*Fortè olim victo ſunt hæc ſolatia Pœno;*
*Sera licèt, victis vltio ſæpè venit.*

In Licotam Aſtrologum. Gorgias.

*CVr delectetur molli Ganymede Licotas,*
*Et bibat impubi pocula mixta manu,*
*Parcite mirari; ſphæris aſſuetus, & aſtris*
*Vix poterat mores non didiciſſe Iouis.*

Ad Philaurum Diuinatorem. Speuſippus.

*TV, qui præteriti ſoles diei*
*Diuinare vices, quid eſt, Philaure,*
*Quæ-*

*Quaſò, quòd vitulus perennis iſte*
*Nunquam bos, licèt integer dierum,*
*Sit factus? Vitula ipſius ſed vxor*
*Aeui candida ſcilicèt minoris*
*In vaccam cita creuit? hoc reſolue,*
*Et mi ſummus eris, Philaure, vatum.*

## In Aſtrologum, qui ſe ipſum præcipitem dedit. Phormio.

*HIc Stagyriticæ ſcholæ latebris*
*Rimandis tibi, Roma, lectus olìm,*
*Qui ſe præcipitem dedit feneſtra*
*Ex iſta, meritum nefas piauit,*
*Reſperſit meritò ſolum cerebro.*
*Nàm cum ſyderibus moleſtus eſſet*
*Per noctes oculis, manuq; Dani*
*Sextantis radijs, diùq; chartas*
*Ad Peluſiaci ſenis vocaret*
*Quæſitor rigidus, loco nec vllo*
*Paulùm ſtertere feſſa pertuliſſet,*
*Inuenit Venerem latente cliuo,*
*Obſcænæ ſcelus impudens Suburræ,*

*Cui pœnas daret. Illa nil timentem*
*Aggreſſa horriduleq; blanduleq;*
*Fregit, nequitijsq; mente mouit,*
*Ut nec tædia ferre tanta poſſet,*
*Et fatum properaret impotentèr,*
*Linguæ ne officium tuæ deeſſet;*
*Sic, quod mitius iſta gens celebrat,*
*Heu, mendax hominem fefellit aſtrum;*

POM-

# POMPEIANA SEPTIMA.

CAVSAS euerſionis Romanæ Reipublicæ in Pōpeiana clade multiplices recenſentes hactenùs & cū Politicis Philoſophis, & cum Mathematicorū, Ethnicorumquè vt plurimùm deliramentis verſati fuimus; nùnc ſublimiora petenda ſunt, & magis homini conſentanea, atquè ad ſummum res eſt reuocanda principium, Deum, diuinamquè Prouidentiam; nàm cum rerum omnium menſuram hominem eſſe in Theæteto Socrates dixerit, indignus tanta claritudine profectò eſt, ſi ſtellis, aut alia quapiam re creata metiri ſe velit, atquè ijs ſubijci, quibus dominari oppidò debet, nequè Deum ſpectare auctorem, finem, exemplarquè ſuum, ad quem omnia ſine controuerſia

ſunt referenda, atquè in cuius manu vniuſcuiuſquè ſortes ſunt. Deus enim, ſi negligas, & fallacibus huiuſmodi cauſis nitaris, omnem ordinem peruertere facilè poteſt, neque Politicis legibus conſtituta ritè Reſpublica, neque propitia ſyderum manu deducta, neque numerorum myſticis firmata præſidijs manebit diù, proptereaquòd cum Rex ſit vniuerſorum, vniuerſam quoquè cauſarum ſecundarum auctoritatem in poteſtate habet. Multò magìs ſi ſceleribus laceſſas, quæ ſi abſint, vti infirmiora alioquì Imperia conſiſtunt, nulla enim mortalibus nocebit aduerſitas, ſi nulla ijs dominetur iniquitas, ſic gliſcentibus flagitijs, auro, exercitibus, prudentia firmiſſima diſſoluuntur. Etenìm ſi ſacra volumina peruoluamus, ſole illuſtriùs patebit, quæ conſtitutio Reipublicæ perſeueret, quæ aſtra natalibus affecta, quæquè luminum coniunctiones, & vultus imminentia bona, malauè indicent, ac diſponant, neque aut Nabuchdonoſo-

ro.

ro abrogatum ad tempus Imperium, aut Sauli ſucceſſionem ablatam vel ſyderibus, vel regni malè formatis legibus acceptum feremus; atquè illa Imperia munitiſſima confiteri neceſſe erit, quæ pietatem, iuſtitiamquè colant; cuius quidèm rei exempla aſſiduè ſub oculos cadunt, cum magnis ciuitates, & regna terroribus vexata placati Numinis beneficio ab ingentibus periculis liberantur. Hoc verò ne Ethnicorum quidèm præterijt cogitationem. Itaquè tàm verè, quàm diſertè exclamauit Lyricorum apud Latinos princeps Horatius.

*Hic murus aheneus eſto,*
*Nil conſcire ſibi, nulla pallescere culpa.*

Aſcendamus igitùr vel ipſo vocante Numine, diuinamquè in tanto opere prouidentiam impenſiùs conſideremus, quæ vt omnia infinita cum ſapientia gerit, ſic tenebras fugat, & caligine repurgat animos, ne fallacibus mundi opinionibus circumueniantur; attingit enim à fine vſq;

ad finem fortitèr, ac diſponit omnia ſuauitèr, quemq; ſcopum ab æterno ſibi propoſuit, ad eundem miro ordine, mira concinnitate, atquè concentu, cuius cognitio in animos mortalium cadere ſine ipſo nequaquàm poteſt, dirigit, atquè inſtituit, quæcumquè fiunt, nequè tàm res illa ſpectanda eſt, quæ eo tempore, eo loco ſingulari euentu ſub oculos incidit, quàm vniuerſum in primis argumentum illud, quod in mente Numinis poſitũ eſt, cuius vi omnia cohærent inter ſe inuicèm, atq; ad gubernationem totius mundi, totiuſquè temporis ad vnum finem diſpoſita ampliſſimè pertinent. Finis autèm gloria eſt ipſius Dei. Quod ſi filius eſt gloria patris, igitùr ad CHRISTVM Dominum, in quo ſibi benè complacuit, directa ſunt omnia. Hùc conuerſio Romanæ Reipublicæ, hùc Pompeij calamitas pertinebant; ad hanc metam ſupernorum orbium peruolutiones, noxiorum Syderum conſpirationes, annorum numeri ferebantur, ipſa

quo-

quoquè vitia Romani Populi, atquè à priſca virtute degeneres diù animi, ipſa flagitia, quæ vti modò memoraui, iuſto Numini cauſa ſunt, vt regna conuellat, eò ſpectabant, vt rerum Principi obſequerentur. Nàm cum impleta iàm, abſolutaquè forent tempora æterno conſilio diuinitùs præfinita, quibus tot Dijs mendacibus profligatis, vera, eaquè vna diuinitas per Deum ipſum mortalitate indutum pateret, atquè orbem terrarùm ab erroribus repurgaret, tùm præuia rerum ſignificatione aduentus videbatur tanti Principis indicandus, atquè extincta dominatione multorum, inductaquè Monarchia myſterium maximum præſignandum, tùm vis multiplex Romanæ potentiæ, ne quid ſub Sole æternum foret, in vno capite terminanda, quod deindè aut faciliùs, quàm plura capita, in noſtram ſententiam, fidemquè pelliceretur, aut crudelitatis, auaritiæ, impudicitiæ, atquè ignauiæ putredine extenuatum minore negotio rue-

ret, ac Lapillus ille diuinus paternæ figura ſubſtantiæ, ſine manibus, ſinè armis; ſine equis, ſine curribus, ſed portās omnia verbo virtutis ſuæ, ſtatua infinitæ molis attrita, in montem creſceret, atquè ad tantām magnitudinē perueniret, vt omnes maris, terræquè ambitus occuparet. Itaquè iàm non Romana Reſpublica, iàm non Imperium tantoperè propagatum, ſed Regnum Chriſti, atquè humillimæ crucis vexillum latiſſimè dominatur, nequè vllo ſeculorum termino comprehenditur. Ad huiuſmodi finem tendenti ſapientiſſimo rerum moderatori non ſingularia diligentèr obſeruanda erant, tametſi infinitum conſilium nihil prætereat, ſed vniuerſalia quærenda potiſsimùm, ijsq́; vtendum inſtrumentis, quæ maximè idonea ad rem propoſitam pertinerent, proùt nobis ex euentu eæ ambages patuere. Quocircà non Cæſarem, ac Cæſaris domum dilexit Deus, Pompeium, cæteroſquè libertatis aſſertores odio habuit, cū omnes

æquè inimici forent, atquè à veræ iuſtitiæ legibus abhorrerent; ſed Principatum ſtatuere in Republica voluit, fecitquè vt Mimorum princeps ſolet, qui actionem quãdoquè nobilem traducturus in ſcenam, ſuam cuiquè perſonam, ſuas partes attribuens, non hiſtrionum nobiliſsimum, & ſibi charitate intimum, regem facit, infimum autèm, atquè ab ſe alieniſsimum; extremum quoquè in dramate locum habere iubet, ſed ingenio perſonas metitur; alioquì imprudentiæ dedecus non effugeret. Itaquè plerumquè fit, vt conditione, ac cenſu nouiſsimus primas in theatro partes obtineat, nobiliſsimus abiectiſsimas. Etenim cum drama illud diuini Principis in ſcena vniuerſitatis huius actitaretur, quo Tyrannus in Romana Republica ſpectatoribus exhibendus erat, non genus, non mores, non virtus ad rem propoſitam pertinebant, ſed ille erat eligendus, qui aptiſsimus haberetur; quiquè ad vim dominationis compoſitus, & Princi-

patum conſtituere, & conſtitutum ſucceſſoribus tranſdere poſſet. Quòd ſi Cæſari huiuſmodi præſidijs inſtructo Tyranni perſona obuenit, non clariora illius merita, non ergà ipſum Numinis beneuolentia; odium in reliquos, aut ſapientia eligentis in cauſa fuit, at Cæſaris ipſius non tam virtutes, quàm vitia. Quo ſanè ex loco gratulandum Pompeio eſt, ad cuius laudem magnoperè facit, commendatquè hominis innocentiam, & ſtudium iuſtitiæ; nàm cum nemo poſſet, niſi malus, & armis Rempublicam occupare, & occupatam nunquàm dimittere, propterea bonus ipſe fuiſſe probatur, quòd in eo nihil eſſet ad Tyrannidem cõparatum, qui patriæ, quàm ſui amantior, cuſtos Reipublicæ, vindex libertatis; nequè ex tot, tantiſquè rebus ab eo geſtis vlla ab Hiſtoricis perindè laudatur, ac non modò, quòd Rempublicam non inuaſerit, cum poſſet maximè, verùm etiàm maturrimè omni metu, ac ſuſpicione libera-
ue-

uerit. Quamobrèm experientia cognitum reiecit Deus, noluitquè Regem ſtatuere, quem regno nouerat minimè delectari, imò eius rei gratia & vita ſpoliauit: nàm cum accepta clade Pompeius cum amicis ſedulò deliberans, quò ſe reciperet, locum ex politicis rationibus optimum elegiſſet, eundem corruptiſsimum nactus eſt, atq; in Ægyptij proditoris incidit manum, ne ſuarum partium reparare fortunam poſſet. Quæ ratio ſucceſsibus declarata, probataquè pluribus omnem dubitationem de medio tollit, cum non Pompeium tantùm, Brutumquè vincere, ſed nequè Agrippam, nequè Druſum, nequè Germanicum, qui libertatem reſtituturi credebantur, ſuperſtites regnantibus eſſe permiſerit, bonos quidèm, atq; omnium hominum conſtanti conſenſione laudatos. Proindè dubitaui ſæpè mecùm, ratio iuſtitiæ in Imperijs eſſet ne aliqua, àn verò ius in armis, quaſi diuinitùs, & quam quiſquè partem vi occupauerit, hanc iu-

ſto titulo poſſideat. Sed vltio, ſi cætera abſint, ſatis docuit eſſe præclaram; vidi enim cædibus, perfidia, ſanguine pluribus ſeculis continentèr quæſitum Imperium vltrà tertiam generationem non perueniſſe, quod nimirùm malis artibus, & ſcelere in ipſo ortu fundatum fuerat; vt propemodùm dici poſsit iuſtitiā propterea Numinis ad tantum faſtigium Cæſares extuliſſe, vt citiùs, certiùſquè euerterentur, quaſi amphibologico Ciceronis vocabulō vſum, qui aliud verbo, & ſono vocis, aliud animo concipiens laudandum, tollēdumquè dictitabat Cæſarem puerum. Sunt qui cladem Pompeianam ex ipſius facto Pompeij referant ad iram Numinis, cùm expugnata Hieroſolyma templum ingreſſus religione ſanctiſsimum arcana ſpectauit, quæ poſt Pontifices fas erat videre neminem. Poſt quem auſum conuerſio (vt inquiunt) ipſius fortunæ facta eſt, nequè homini deincèps quicquam contigit, niſi aduerſum. Imò vel in Ciceronem
aſſe-

aſſerunt vltionem criminis redundaſſe, ſub cuius Conſulatu, atquè auctoritate ea bella gerebãtur; propterea Catilinaria coniuratione afflictum, Clodiana vi in exilium pulſum, Antoniana proſcriptione, ac cæde mulctatum. Nec non eodem anno C. Octauium idcircò natum dicunt, qui vtriquè aduerſus, & Tullium prodere debebat, & Pompeij partes funditùs tollere; qui duo viri ciuilis, & militaris in Republica maximi ad tuendam libertatem præſidij plurimum afferebant. Itàquè quam illis ex eò ſcelere calamitatem, quod ſeruitium Senatui, & liberis ciuibus, quorum ijdem gemini auctoritatem, maieſtatemquè præſeferebant, erat in tempore iuſtus Arbiter illaturus, eam Catilinæ coniuratione minatus eſſe, & quaſi digitò monſtraſſe videtur. Et Diuus quidèm Auguſtinus in primis huiuſmodi contra Pompeium de Templo ſententiam fouere inquiunt. Intercedere tamèn liceat, & pace tanti viri (ſi id modò in eius habetur

mo-

monumentis; quod ego non reperi) ab optimo Imperatore propulſare calumniã, qui,ſi ex fine propoſito peccata hominum metiri debemus, quid prauum ſanè voluerit, minimè video, cum, vel ipſis Ioſepho, Egeſippoquè teſtibus, nihil cæteris virtutibus indignum geſſerit, honorem loco, cultum Deo ritè exhibuerit; maiore ſanè quàm Salomon reuerentia, (vt ſacrilegium Craſſi, vltionequè prætereamus) qui inter victimas, & ſacros ignes Ioabum confodi mandauit. Vtinàm tantus aditus, quem Deus immortalis Pompeio liberalitèr aperuerat, ad inſpiciendam veritatem, atquè ex animo Idololatriæ inſaniam penitùs depellendam valuiſſet. Hoc fortaſsè vel ad humanam felicitatem Pompeio obfuit, quòd tempus viſitationis ſuæ non cognouit. Obfuit, quòd ſæpè adoratus, ac pro Deo cultus immodicam gloriam ingenti calamitate rependere debere videbatur. At hæc peccata fuere magìs ſeculi, quam Pompeij.

Cæ-

Cæterùm diuina quadam potiùs prouidētia factum fuiſſe exiſtimauerim, vt eodem tempore, & Romæ ab optimo Conſule nequiſſimi ciues exterminarentur, & Hieroſolymis à iuſtiſſimo Imperatore perfidus, ingratuſquè Deo populus, atq; Aſſamanæorum in primis familia plecteretur, quæ libidine regnandi plena fraterni ſanguinis, non modò diuina, humanaquè, ſed naturæ quoquè iura peruerterat. Tantùm abeſt, vt ex eo capite punirentur. Et ſanè ſi quid diuinum humana ratiocinatione, aut coniectura conſequi poſſumus, ortum propterea Auguſti in annum captæ Hieroſolymæ, & Iudaici populi ſubiugati arcano conſilio Numinis incidiſſe fortaſsè putandum eſt, quòd cum Deus contumacem iampridèm Iudææ populum abieciſſet, exterum Principem, ſub cuius Imperio mortalitèr naſceretur, & viueret, parare maluit, quàm ſub popularibus ſuis eſſe, à quibus deſertus totiès, contemnendus demùm, atquè in crucem agendus

erat.

erat. Quod verò ſubdunt nihil præclarum deincèps, & Reipublicæ commodum accidiſſe Pompeio; concedere neutiquàm poſſum, doleoquè memoriam hominum oppidò fluxam. Nequè enim ſi Appiano, ſi Plutarcho, ſi Egeſippo fides habenda eſt, bellum Mithridaticum priùs abſolutè confeçit Magnus, quam Iudęam, Ituręamquè ſubegiſſet, adhùc vel abſenti militante fortuna, atquè hoſtem in ſe ipſum ſæuire cogente; nequè ignotum, obſcurumquè eſt ferè quinquennio pòſt in ſumma annonæ caritate, vix ei communibus ſuffragijs delecto, qui rei frumentariæ gerendæ præficeretur, conſenſiſſe Naturam maria, ventos, atquè omnia paruiſſe; ità vt inducta celerrimè immenſa Cereris vi longè, quàm ex hoſtibus triumphans, cõſeruatæ, quàm auctæ patriæ maiori eſſet admirationi; eaquè in primis vox digna viro celebratur, quæ nautis exponere Ducem periculo recuſantibus, vel ipſam hyemis, & tempeſtatum vim, atquè im-

pe-

petum ſuperauit. *Nauigare eſt neceſſe, viuere non eſt neceſſe.* Ex his probatum ſatis, ſuperq; arbitror non erroribus Pompeij, virtutibus Cæſaris illum deiectum, hunc euectum, cum ambo militià pares, Pompeius virtutibus anteiret; ſed diuinæ æterna diſpoſitione ſapientiæ eum delectum, qui ad finem propoſitum opportuniora conſilia fouebat, quiquè propiùs diuinæ mentis accedebat ordinibus ab humano captu longè remotis: nàm & vnitas in Iulianis partibus Imperatoris, & capitis ad vnitatem Eccleſiaſtici Principis, cum multitudo gentium ſub confeſſione diuini nominis colligeretur, ſignificandàm magnoperè pertinebat. Et Pontificatus Cæſaris maximus Apoſtolicam poteſtatem prænuntiabat, quæ ſuccedere, ac propagari tùm Romæ, tùm toto Orbe latiſſimè debebat, & Cæſaris orbitas cò tendebat, vt res tandèm ad electionem deduceretur, quæ in Imperatoribus inchoata in Pontificibus perſeuerat. Quibus

op-

oppoſita penès Pompeium omnia, qui & Senatum, & multiplicem dominationem, temporalemquè (vt communi vocabulo vtar) Reipublicæ ſtatum, cui terminus aderat, repræſentabat, ac liberis abundabat; qui niſi Principatum pater ſpontè dimittere voluiſſet, regni capaces, & maieſtatem loci fortitèr, ſapientèrquè defenſuri videbantur. Atquè hæc adeò de re in diuinam voluntatem referenda ſententia veritatem intimè attingit, vt nullus penès ſcriptores non modò ſacros, ſed prophanos quoquè ambigendi ſuperſit locus. Ità tamèn vt nihil Pompeio detrahatur, in cuius Curia cum trucidari Deus Cæſarem voluit, atquè ipſius imagini ſubijci, deteriorem Pompeio Cæſarem, inferioremquè ſatis oſtendit. Sed videamus, ſi placet, quemadmodùm Deus Opt. Max. à procella belli ciuilis haùd tantùm hauriri Rempublicam iuſſerit, verùm etiàm cognitum, declaratumquè mortalibus eſſe voluerit illam ab ſe vno pendere iacturã.

Etenim magna omnia coiere, pulcherrimamquè cauſam, conſenſionem bonorum, Senatus auctoritatē, maximos exercitus, fœderatorum Regum, & ſociarum gentium voluntates, Imperatorem deniquè, quo ante ea tempora Roma clariorem habuerat neminem, ita rei, ac tempeſtatis ratio coniunxerat, vt nihil certius eſſe poſſet cuncta ſimùl æſtimanti, quàm victoriam ab ea parte futuram eſſe, cui tot ex rebus conſtātiſſimè deſtinabatur. Quod cum ſecùs euenit, tum verò nulla poterat eſſe dubitatio, quin res fatorum vi, & diuino conſilio, decretoquè duceretur. Et quidem de exercitibus, qui quanti fuerint, ſuo loco memorauimus, illud mihi cogitanti in mentem venit, cum fortunæ regnorum mutatæ ſunt, vel nunquàm, vel rarò admodùm contigiſſe, vt victoria penès maiorem numerum foret; quò voluntas, potentiaquè Numinis eniteret non armis, non copijs innixa. Cuius rei cum plurima ſuppetant, vno Alexandri exem-

plo contenti ſimus, qui triginta paulò plùs hominum millibus aduersùs Darium immenſam belli molem ſuſtinuit, & nongenta ferè militum millia, maximum Orientis præſidium, bina acie profligauit. At quid illuſtrius in noſtram ſententiam adduci poteſt, quàm quod Bruti, Caſſijq; exercitus vt plurimùm ex ijs militibus cóflati, qui pro Cæſare dimicauerant, victoreſquè fuerant, ſub tantis Imperatoribus libertatis partes fouentibus, nihilominùs (quod Appianus quoquè admiratur) ſuccubuere, victiquè ſunt? Quid verò de Regibus dicam, & ſocijs gentibus, quæ cauſam libertatis vniuerſę complectebantur? Quid de maieſtate, & potentia Senatus, ac conſenſione bonorum ciuium? At in Senatu cum plurimi eſſent optimi, ſapientiſsimi, & fortiſsimi viri, qui victores magnarum gentium Imperium Romani Populi propagauerant, liceat mihi vnum ad memoriam ſuarum laudum reuocare M. Tullium, de quo me aduerſa-

rij nupèr admonuere, cuius cum Pompeio virtutum ſocietas, & ſimilitudo vitæ diſſimilis (& ſanè etiàm æquales fuere) facit, vt nullis maioribus præſidijs in eo corruptionis ſtatu Romana Reſpublica niti poſſet, quàm geminis hiſce ciuili, militariquè Principibus viris, à quibus ſi publica dominatio humano conſilio, manuquè ſuſtineri, defendiquè potuiſſet, oppidò defenſa foret. Nati ſunt vterq; eodem anno, qui IↃCXLVIII. numerabatur ab V. C. eadem ſyderum poſitione, temperamentoquè elementorum, aut parùm diſsimili, vt concordes vitæ, neciſquè periodos, quamquàm diuerſis itineribus ſolum æui calcarent, habituri viderentur. Prima Ciceronis ætas diſertis, doctiſquè hominibus admirationi fuit; adoleſcentia Pompeij armatis Imperatoribus terrorem incuſsit. Ille Rex fori ocyùs euaſit, Siciliam egregiè adminiſtrauit, Verrem, Piſonem, alios fędiſsimos, & flagitioſiſsimos latrones ſapientia, & orationis impetu profligauit,

optimos ciues vel in periculo capitis ſeruauit; hic Carbonem, Domitium, Sertorium, peſtes Reipublicæ, quæ ſtatum rerum crudeliſsimè labefactabant, priùs Imperator, quàm miles è mundo ſuſtulit, Senatui, boniſquè ciuibus tutelam, & defenſionem exhibuit, de duabus terrarum orbis partibus ſplendidiſsimos triumphos egit. Ad mediam ætatem pertinent ampliſsimi magiſtratus, magnificentiſsimæ rés per vtrumquè geſtæ, quæ gloriam ijs auxerunt vſquè ad miraculum, quaſi aut ſuperiùs aſcendi per mortales nequiret, aut etiàm humanum faſtigium egrederentur. Eccè vt Cicero Conſul Reipublicæ caput poteſtate oppidò Dictatoria, nefariam, deteſtabilemq; inteſtini hoſtis coniurationem admirabili ſolertia, & virtute reſtinxit, à penatibus ignem, à lateribus ciuium gladios, à ceruicibus ſecures excuſsit, parricidas oppreſsit; leges optimas, & Reipublicæ ſalutares tulit; Patris Patriæ Romanorum primus nomen inuenit, peſſimo-

ſimorum inuidia ex Vrbe pulſus, mòx flagrantiſſimis omnium ordinum ſtudijs reſtitutus, atquè Italiæ humeris reportatus triumphantiũ gloriam æquauit. Eccè vt Pompeius bellum Piraticum infinitæ magnitudinis priùs confecit, quàm cœptum eſſe crederetur, vt Mithridatem perpetuum hoſtem Romani nominis omninò deleuit, Hieroſolymam expugnauit, Armeniam, totumquè Orientem vſquè ad Parthos ſubegit, Septentrionalis Cæli regiones plurimas Romanæ poteſtatis fecit; de duobus ſuprà viginti Regibus Magnus omniũ conſenſione ſalutatus, quàm nemo antè, glorioſiſſimè triumphauit. Alter Imperium populi Romani amplificauit; alter domicilium Imperij ſeruauit. Mòx proſcenium mutatur, Tullius in ſago, Pompeius in toga. Ille non módò æquitate, ſolertia, charitate Ciliciam tenet, ſed armis munit, metu ingentis belli liberat, hoſtes profligat, merito triumphi contentus, triumphum temporum

calamitati remittit. Hic ſapientiſſimis,& iuſtiſſimis Conſulatibus res vrbanas componit; annonam ex vltimis terrarum finibus nulla difficultate deterritus adeſſe iubet; magnificentiſsimum theatrum extruit, atquè infinitis ſumptibus dedicat. Sub exitum vitæ,alter ſummus armorum Princeps ipſis quoquè imperat Imperatoribus; alter in Senatu, in concione omnia arbitrio gerit, exercitus, prouincias decernit, noxios ciues è Republica eijcit. Et quemadmodùm vtrumquè anteà crebræ contentiones perturbauerant Reipublicæ cauſa ſuſceptæ, atquè idem ambobus hoſtis, inprimis Clodius, ſic extrema ætate hunc Antonius,illum oppugnat Cæſar. Ille à commilitone interfectus, hic à cliente; vna & vtriquè cauſa fuit defenſio libertatis, ſalus Reipublicæ. Trophæa demùm, & clariſsimarum victoriarum Pompeij monumenta toto orbe terrarum patent,atquè omnem ſuperant laudationem. Ciceronis labores, & ſcripta

per

per vniuerſum ambitum ſolis omnes oculi legunt, omnia admirantur ingenia: mirumquè eſt, quod citrà controuerſiam cuncti fatentur, nequè alium apud Romanos vnquàm plura, præſtantioraquè literis mandaſſe, nequè vllum acriùs, diligentiùſquè gerendæ Reipublicæ operam dediſſe, quàm Tullium; quod viderint ij, qui ſtudia ſegregant à negotijs, negantq́; vnà verſari poſſe. Itàquè alterum fuiſſe mentem, linguamquè Reipublicæ, alterum caput, & manum, tùm acutè, tùm probè dictum, nequè Martialis damnandus videtur, qui vtrumquè contulit, atq́; indignarũ huiuſmodi cædium æquè abominatus flagitia fuit.

*Par ſcelus admiſit Pharijs Antonius armis.*
Nàm cum Pompeium gladius ciuilis exhauſit, libertas Po. Ro. reſtincta eſt; cum Tullium nefariæ proſcriptionis turbò proſtrauit, etiàm libertatis ſpes interitum ſubijt. Ex quo tùm argutè, tùm verè, inſpecto tãti hominis capite exclamauit An-

tonius. *Nunc ſatis proſcriptionibus factum eſt.* Hi tanti viri, tàm ſapientes, tàm fortes, duo Reipublicæ clariſsima lumina, quis negaſſet, quin omnibus malis mederi, omnium calamitatum procellam depellere valuiſſent, niſi voluntas Numinis abſuiſſet? Et quidèm Cicero, qui Magnum damnauit ſempèr, quòd ſe Cæſari coniunxiſſet, atquè eius magnitudini fauiſſet, ex quò poſteà deceptus fuit, tum demùm ea omnia fato regi confeſſus eſt, cum Octauium, quem tantoperè ornandum contenderat, ſe armis inſtruxiſſe ijs aduersùs Rempublicam vidit, quę pro tegenda, defendendaquè Republica dederat. Etenìm Deus, vt cum Paterculo diſſeramus, ſtatuto tempore conſilia corrumpit, cum Prophetarum Principe diſsipat, nulla autèm corruptela, diſsipatioquè conſiliorum maior cenſeri poteſt, quàm cum ſpecioſæ ſententiæ vtilibus præferuntur, quód Abſalomi rebus exitium, Roboamo decem tribuum iacturam attulit.

Tan-

Tantæ tamèn ad honorem funeris Reipublicæ pertinet cum eiuſmodi notæ viris ſepultam eſſe, illam enim mori honeſtiſſimè decebat, quam diutiùs viuere non licebat. At non inulti interiere, vt ſciant homines eſſe curæ Numini tutelam mortalium, regimen orbis terrarum, bonorum præmia, ſontium pœnas, nàm quiqui fuere, qui Pompeij calamitati, Ciceronis cædi operam dederunt, eorum nemo diù ſuperſtes, nemo non miſerrimus ad tumulum venit. Hinc Antonius faſtigio deiectus ſibi ipſi manum conſciuit: illinc tùm Ægyptiorum Regum familia funditùs ex hominibus exterminata, tùm Cæſar ipſe trucidatus eſt; qui ſanè quam ob cauſam infelicitèr mori debuiſſet, qui, quamquàm iniquo titulo paraſſet Imperium, egregiè tamèn fuiſſet imperaturus, niſi vt pœnas Pompeio daret? atquè ad eum Principē Reſpublica perueniret longa potentia, qui nullius particeps criminis aduersùs Pompeium fuit? Omitto con-

ſcien-

ſcientiam ſceleris, cruciatus intimos, qui Cæſari tædium vitæ, odium ſui, in quo omnes hiſtorici, & Cicero ipſe in oratione pro Marcello, quam in conſpectu Cæſaris habuit, probè conſentiunt, iamdiù pepererant. Ne mihi, quæſo, vitio vertatur, Auditores, ſi quid temerè, ſed verè dixero. Obſeruatum eſt à ſapientibus viris, quo anno iuſtiſsimus Deus Hieroſolymam per Titum vaſtauit, eodem ità deleuiſſe Iulianam domum, vt nequè natura, nequè adoptione quiſquam, cruentiſsimo Nerone ſublato, ſuperſtes fuerit, qui malè inſtitutam dominationem teneret, ac libertatem Vrbi ad imperandum natę propemodùm reſtituiſſe; ſpecies enim libertatis eſt Principem arbitrio ſumere; vt benè Galba, ſapientèrquè dicere potuerit. *Pars libertatis eſt quod eligi cœpimus*. quaſi euerſus iniuria Imperator proximàm (æquam quippè cogitare formidat animus) Deo ipſi cauſam vltionis habuerit. Iàm verò ſeu inteſtinis Reipublicæ tabibus, ſeu

pe-

periodicis Syderum nodis, annorumquè numeris, ſeu diuini æterna conſtitutione conſilij tempus aduenerat, quo Romani populi dominationis æqualitas rerum ſatisfaceret fato mortalium. Iuſta Pompeij cauſa mortalibus viſa fuit; victoria Cæſaris Numini placuit, quod cum proſpiciat in longitudinem, res malas ad bonos, & placitos ſibi fines mirabili artificio traducit. Et quidèm ipſe Cicero apud Cæſarem Ligarium defendens idemmet innuere verbis illis viſus eſt. *Nunc ea certè cauſa melior dicenda eſt, quam etiam Dij adiuuerunt*. Nàm cum ſe aſſentari Dictatori arbitraretur, mouente linguam fortaſsè Numine, vt ita dixerim, prophetauit; relata quippè ad diuinæ Prouidentiæ conſilium re, vti demonſtrauimus, melior profectò cauſa Cæſaris, quàm Pompeij fuit. Quæ ad noſtram doctrinam, atq; vſum omnia; nàm ex tàm atroci, miſerandaq; rerum perturbatione præcepta ſanè præclara eruere cùm poſſumus, tùm debemus, patetquè

in primis, qui res humanas ſupremum ſibi finem ſtatuunt cogitationum, potioraquè ſempiternis habent inania, & fluxa, nequè aliud quærunt, quàm quod pulcherrimum hìc videtur, & beatiſsimum, eos malè perire neceſſe eſſe; propterea tanti viri, tot gentium victores, gloria, faſtuquè redundantes, qui magnorum Regum colla calcauerant, fœdiſsimè interierunt, & poſt obitum quoquè eorum ſupplicium manauit ad poſteros. Pompeij genus ex hominibus extirpatum, bona ſub haſta poſita, ædes ad fœdiſsimum hoſtem peruenit, nequè enìm minùs intèr mala numerandum eſt habitaſſe Antonium in penatibus Pompeij Magni, quàm Magnum ipſum priuatum fuiſſe vſura lucis huius viliſsimi ſpadonis imperio. Cæſaris exciſum ſemen, ſucceſſores infames vt plurimùm, collecta ex toto orbe terrarum colluuies, monſtra, portentaquè generis humani, quæ ne tanta cum turpidine regnarent, Cæſar ipſe ſua clade libentiſsi-

tiſsimè redemiſſet. Nequè obijciendum mihi, quod nupèr diſſerui, ad vindictam Pompeij, Reiquè publicæ euerſionem Cæſarum pertinere, cum ad vtramquè cauſam referri valeat, pluraquè peccata reſpicere poſſit vnum ſupplicium. M. Tullij, cui patria in primis Deus fuit, filius degener, domus extincta, pręter nomen, ac famam rerum geſtarum, ſeu ſcriptarum, omnia peſſumdata & profligata. Roma ipſa diruta, atquè expers ſui, vni ſeruire vi didicit, quæ pluribus ſe imperare gloriabatur; quæquè vnum Deum vltrò recuſauit, vnum hominem coactè tulit. Igitùr ſolum Numen intueri, ad illud cogitationes conferre omnes, in quo omnia ſita ſunt, ſedulò mortales debent, nequè aut felicitatem, aut conſtantiam ſub Luna quærere, certumuè ſibi gerendarum rerum ex geſtis exitum polliceri; quod qui fecerit, falli hominem neceſſe eſt; nequè enim ſeù ſucceſſuum ſecundorum perpetuus fluxus Pompeio profuit, ſeù inuicta

ſem-

ſempèr virtus ad victoriam valuit, ſeu potentia bellis ciuilibus inchoata bellum ciuile nouiſsimum profligauit, atquè eius vitæ ſuperſtes fuit. Quamobrèm præclarè quidèm viui in hac vita poteſt, quià cum virtute; beatè non poteſt, quandoquidèm cum nulla inſit ſtabilitas bonis humanis, dolores aſſiduè imminent, atq; exitus calamitoſi, nullamquè ſpecioſa huiuſmodi afferunt æternitatis neceſsitatem, cui fidere debeamus. At nequè diuinæ mentis arcana, cauſaſuè, cùr ità fecerit, videtur curioſiùs inueſtigandum, eò quippè haùd perueniunt noſtra iudicia, *nequè* vt ait Boethius in re haud prorsùm diſsimili, *fas eſt homini diuinorum operum ingenio machinam comprehendere*. Cæterùm ſatis eſt agere cum virtute, ac metu Numinis; quod enìm nobis optimum, illi perſæpè deterrimum eſt, quippequod futura longè præuidit, ac ſumma ſapientia, atquè ordine, ad vniuerſitatem hominum apto cuncta initiò diſpoſuit.

Pero-

Peroraui, Academici nobiliſſimi, & fructum propoſui, niſi vberem, at fortaſsè non pænitendum. Vos parcite longitudini, ac plurium dierum vno in argumento moræ, & quicquid noſtro ingenio defuit (quod ſanè plurimum fuiſſe intelligo) veſtræ mentis acie, veſtra humanitate ſpontè ſupplentes diuturnum vobis laborem, atquè audiendi tædium leuate.

---

Iàm abſoluta defenſio erat, cum Academici vſitata feſtiuitate ſcenam clauſerunt.

De Monarchijs. Socrates.

*Cetera corruerant ſcelerum vi regna ſuorũ,*
*Imperio Imperium truſerat ipſe Deus.*
*Roma ſubit, totumq; armis ſibi vendicat orbem;*
*Imperat æternos nec tamèn illa dies.*
*Hic labor à primi procedit ſemine pomi,*
*Hinc rerum interitus naſcitur, vndè ſcelus.*
*Roma tamèn gaudere poteſt; mortalia regna*
*Ceſſerunt homini cætera, Roma Deo.*

Cn.

Cn. Pompeius Magni filius. Philo.

QVàm fortis, quàm res Magno patre dignus obibam;
Verùm Pompeij non placuere Deis.
Conatus mihi prò palma; certamen honoris
Hosti alibi, vitæ me duce pugna fuit.
Iam pœnas debes duplices Romæ, improbè Cæſar;
Haud decus eſt laudi, quæ facit eſſe reum.

Sex. Pompeius ad libertum ſuum. Nicocles.

NOn ego me faciã mundi, liberte, Tyrannũ;
Deſine me in tantum pellere flagitium.
Prò me non pereat Siculis Antonius vndis,
Sub noſtro & Cæſar remige tutus eat.
Parce meæ fidei, liberte; odiſſe Tyrannim
Eſt Pompeiani ſanguinis, haud gerere.

Marcus Brutus. Gorgias.

SVſtuli ego inuictum dextra hac vltrice Tyrannum,
Dilexi ſocium, non potui dominum.

Aſt

*Aſt vbi fata vetant etiàm delere Tyrannim,*
*Quid moror? vlteriùs viuere turpe mihi eſt.*
*Libertas ſit parta meum quàcumq; per enſem,*
*Si Patriæ haùd potui, fas potuiſſe mihi.*
*Ne metuas, manus, in Bruto, quæ in Cæſare tantū*
*Auſa es, par geminos ſoluere nomen erit.*
*Vnum hoc virtuti dat fors; nil Cæſare maius,*
*Nil certè Bruto fortius eſſe poteſt.*

## In C. Caſsium. Lyſias.

*QVid ruis in ferrum, Caſſi? quem reris ademptum,*
*Victorem currum puluere Brutus agit.*
*Heu quàm falluntur miſeri; ſic antè Tyrannim*
*Conſtituis, quandò tollere credideras.*

## In Petreium, & Iubam. Archias.

*EIà agè, cedamus fatis, nec ſanguine noſtro*
*Gaudeat hoſtilis, dùm datur hora, manus.*
*Ipſi quæ non Pompeio fortuna pepercit;*
*Haùd veniam nobis ſemper iniqua dabit.*

*Enſis hebes ſæuos hic libertatis in hoſtes*
*Acrior vltores diſcat inire ſinus.*
*Sic Petreius ait, Regemq́; in vulnera Maurum*
*Mutua ſollicitat, nec fugit ille vicem.*
*Fortior eſt, qui primus obit, certamen in vno hoc,*
*Hac eſt Romanus ſic quoq́; parte prior.*
*Interfectorem ſeruum tibi, Maure, require,*
*Haùd fas eſt tanta te iacuiſſe manu.*

## In Ti. Labienum. Damaſippus.

*TV quoquè, qui Magni ad partes à Cæſare tranſis,*
*Cuius confecit Gallica bella manu,*
*Accedis (mirum) Labiene acerrimè, cauſæ*
*Argumentum ingens, ſubſidiumquè probæ.*
*Sed iàm cauſa cadit, properas te adiũgere Parthis.*
*Quid facis? haùd æqua res ratione fluunt.*
*Egregiàm ſemèl ob cauſam tranſire decorum eſt;*
*Si totiès tranſis, transfuga vilis eris.*

In cædem Cæſaris. Demaratus.

*STernitur ante pedes Pōpeij in funera Cæſar,*
*Sanguineos latices iſtius ille bibit.*
*Tantanè Pompeio feritas? ne credite; ſaxum eſt,*
*Pompeius viuens haùd potis eſſe ferus.*

In cædem Cæſaris. Phormio.

*ORbem iam totum violaras cuſpide, Cæſar,*
*Nulla à te fuſo terra cruore vacat.*
*Tu tamèn è pugnis ſemper ſecurus abiſti,*
*Nec gutta exhauſta eſt ſanguinis vlla tui:*
*Scilicèt hunc totum Magni vindicta petebat,*
*Illius ad ſtatuam cogeris enſe mori.*
*Quantus nēpè fuit: tota hęc, quę maxima mūdi eſt,*
*Hoc vno inferius machina pondus habet.*

Placuit Xenarcho Vmbram Cæſaris afferre ex imperfecta Tragœdia Caligulæ furentis, quæ ad rem propoſitam facere videbatur.

*ADſum cruento rurſùs ingenio tibi,*
*Superba mater; Roma, Romanus furo;*

*Quos mihi dediſti, ſempèr hos animos gero.*
*Aſtris locatum vile quem vulgus putat,*
*Aequo Gigantum Tartaro pœnas truci;*
*Cæſar nefandus, ſentio quid ſit nefas.*
*Furore patriam perdidi viuus meo,*
*Extinctus vt non deſinam propriam domum*
*Vexare, poſcit vltio; hoc piaculo*
*Me, Roma, damnas; ſcelere mulctatur ſcelus.*
*Virtute pratèr aſtra ſurgebas Poli,*
*Alebat altos pulchra libertas ſinus,*
*Horrebat ipſe Iuppiter fortem manum.*
*En quæ paraui monſtra, quos reges tua*
*Calcare iuſſi colla regnorum arbitra.*
*Quicumq; præſtat crimine, hunc ſcelus meum*
*Ad culmen optat; imperi fatum impij*
*Bonos recuſat; non Agrippa, aut liberi;*
*Sed fœdus exul præſidet rebus Nero,*
*Non Druſus, aut Germanicus; ſed (quo dolet*
*Natura partu ſe peccaſſe maximè)*
*Effœminatus, impotens Caius, Deum*
*Contemptor, hoſtis peſſimus mortalium.*
*Hac lege viuent poſteri, meum genus*
*Regnare, niſi per vitia, nequaquàm poteſt.*

Cæ-

*Cædes, venena, ſtupra, parricidia*
*Inceſtuoſi iura ſunt huius loci.*
*Quicquid ſceleſti concipi poteſt, paret*
*Videre Titan; omne firmanda ad nefas*
*Frons eſt; ſupremũ hic ſempèr, exẽplo & carens*
*Peccabitur & auctoris ingenio, & loci.*
*Fac innocentem in cæteris, hoc ſum nocens.*
*Fortuna, quid me ad Pharſalum Regem facis?*
*Viciſſe tædet; quiſquis extabat ſuprà,*
*Erat execrandus; dedecus nefarij*
*Merces erat victoris; aut victi decus.*
*Crudelis, illuſiſſe te iuuit mihi.*
*Magnus ſolutus crimine Elyſia plaga*
*Beatus errat; laudibus pulſum ferunt*
*Ad aſtra gentes; mira beneuolentia*
*Sequitur fugatum, mira miſericordia;*
*Ripa inſepultus fluminiſq; in perfida*
*Inuenit imis tumulum egregium cordibus.*
*Iuſtitia tanti eſt. Age, quid vltrà conteris*
*Tempus? quid hæres, dextera infamis mea,*
*Quæ fulminatrix proruiſti in patriam?*
*Conare, lenta, Cæſarum domui facem*
*Inijce, nefandum flamma paſcatur larem*

*Horrenda Ditis; omne coniuret nefas;*
*Hùc migret Orcus; nulla pœnarum eſt ſatis;*
*Solo eruatur regia, iam nemini*
*Parcatur; aulam Cæſarum quiſque horreat;*
*Eſſe in ſupremis vltimum erumnæ locis*
*Sciat; vereri & diſcat vltores Deos.*
*Amore, & odio fęminæ euertant domum;*
*Quicquid ruinæ eſt cōmodum, hæc vis occupet.*
*Succumbe fatis, Principis coniux feri,*
*Succumbe fatis, nimìs amaſti, cæteri*
*Quem odere cuncti; crimen hoc æquat meum.*
*Cadat Tyrannus; vindicis nondum iacet*
*Obtuſus enſis; tempora hæc habent ſuos*
*Vel ipſa Brutos; Caſſius redux domum*
*Obſedit iterùm noſtram, agè tibi adſum, tibi*
*Fatalis vltor, ſanguinem exhauri impium;*
*Pudet meorum me, odi, & execror meos,*
*Pompèianus ſum, exui iàm Cæſarem.*
*Datum ſat igni, triſtis inuaſit lues*
*Animũ muliebrẽ; benè habet, expletũ eſt ſcelus.*

Ha-

Haſce duas Epiſtolas, quæ de eodem ſubiecto ſunt, adijcere operæ pretium exiſtimauimus.

## ALPHONSO PANDVLPHO COMACLIEN. EPISCOPO

*Viro grauiſſimo, atque doctiſſimo.*

Bartholomæus Tortolettus S. P. D.

P*OSTQVAM ſingulari immortalis Dei beneficio meo capiti viuere licet mihi, atque ab alienis abeſſe curis, nihil antiquius habeo in rebus humanis, quàm meo nomini proſpicere, vt ille ait, in longitudinem, & meas pleraſquè lucubratiunculas è medijs fluctibus ſeruilium curarum enatas, quæ idoneæ videbuntur (quod me tu quoque ſæpius hortatus es) vulgo permittere, ne vitam omninò deſidem, atquè inertem vixiſſe coargui valeam: nulla.n. ea vita eſt, quæ nihil tranſmittit ad poſteros. Multa collegi, digeſſi, emendaui, ac rigidiori limæ ſubieci, vtramque linguam, vtramquè orationem Complexus. In ijs Pompeianam præ cæteris defenſionem tibi perſpectam, quæ ſeptem Actionibus Politicis vt plurimùm continetur, quibus maximè mihi videor, niſi fallor, probaſſe induſtriam meam. Hac cum de imprimenda cogita-*

*rem, inopinata denuntiatione perculſus ſui. Magnæ ſapientiæ, prudentiaquè Princeps, ac multiplicis eruditionis, cum in Aulam Pontificiam Decembri menſe exacto ingrederetur, me inſpecto, pedem fixit, mihiquè Pompeium Magnum (meas quippè Actiones pro eo viderat, laudaueratquè) magnoperè commendauit, cui nimirùm noua ab Cæſarianis illata foret iniùria; petijtquè, ne deſtituerem. Rudis ipſe, atquè innocens rei, quò ea oratio vergeret, ignorabam. Intellexi verò tandèm Alexandrum Guarinum V.C. defenſionem Cæſaris in primis luculentam edidiſſe, quæ indignis in Pompeium contumelijs iniquiùs ſcateret. Idem Princeps etiam domi ſuæ (proùt eius humanitate mihi vti licet familiariſſimè) ijſdem me verbis iterùm, atquè iterùm appellauit; vti & alij, haud ſine indignatione, pleriquè, quibus præpoſterus hic Guarini labor viſus eſt, atquè irritus conatus, cum eas partes defendendas ſibi delegerit, quas cum ſatìs, ſuperquè fortuna defenderit, eæ nulla indigere defenſione prætereà debent, niſi ſtudium fouēdi ſceleris prò neceſſitate habere velimus. Hùc enim ſpectat, quod Guarinū ipſum mordicùs ſuſtinere audio tyramnide nempè Pompeij Po. Ro. fuiſſe à Cæſare liberatum. Quod Paradoxi genus, ſi qui, aut veterum, aut recentiorum aſſeruerunt, dummodò ſanæ mentis homines fuerint, neque Cæſaribus addicti, Pompeio mediùs fidiùs nuntium*

*remitto. Etenim Tacitum, vti ſuſpectum, atquè vnum ex illis, explodo; quippè qui Pompeium nunquam cum honore nominat, nunquam ſine calumnia, quæſitis ex induſtria cauſis, appellat, vt in eo inuidiam deprehendas, & ſtudium partium. Itaquè nunc grauiorem remedijs dicit, quam delicta erant; nunc ſuarummet legum auctorem, eumdem & ſubuerſorem, atquè alia id genus; nunc deniquè cum de conſtitutione Principatus ſermonem habet; Mario, Syllaquè occultiorem illum fuiſſe, non meliorem autumat. Quæ verba cum animaduertiſſet Guarinus noſter, prò ſe egregiè facere arbitratus fortaſsè eſt. Porrò cæteri omnes vno ore Pompeium ex eo potiſſimùm ſuprà mortales extollunt, quòd à Mithridatica expeditione, atquè Orientis Victorijs regrediens, cum de Republica ſtatuere arbitrio poſſet, idquè à pleriſquè timeretur; ipſe ſemet maior procùl ab Vrbis Romanæ finibus dimiſit exercitum, & conſcientia contentus rerum geſtarum Pop. Rom. omni metu liberauit. Plutarchus, Dio, Appianus, Paterculus, alij hac in re prò Pompeio in armis ſunt. At in Ciuitate libera, quæ prærogatiua Cæſaris eſt, vt quod in Pompeio Tyrannicum, & deteſtabile fuiſſet, ipſi glorioſum ſit? Nam de iuſtitia Pompeianæ cauſæ aduerſùs Cæſarem quoquè quis dubitandum eſſe cenſeat? neque enim ab euentu rerum iudicium ſumendum eſt, ſed à ratione, quamquàm*

*euen-*

*euentus à Deo pendeant, cuius prouidentia vſu perſæpè venit, vt mala maxima in bonum vergant. Qua de re in extrema Pompeiana noſtra, nec non in Commentario ad Agrippinam itidem noſtram prolixius, nequè fortaſsè temerè diſputauimus. Quamobrèm ſi, vt Lucanus ait.*

Victrix cauſa Deo placuit, ſed Victa Catoni. *Non Catonem ſacrilegi Deo anteponimus, ſed Catonis rationes neutiquàm reprobamus, cum Diuinum animum (quod tu pro tua ſapientia planè cognoſcis) teneant arcana conſilia in maius bonum diſpoſita, de quibus haud fas eſt homini diiudicare. Quodſi obijciatur auctoritas M. Tullij, qui pro Ligario ad Cæſarem ait.* Nunc meliorcertè ea cauſa iudicanda eſt, quam etiam Dijadiuuerunt, *nihil moueat, quippè hic vel adulatorius eſt ſermo, quò nimirùm clientis ſui, qui vehementèr capite periclitabatur, cauſæ ſeruiret, vel ſanè his verbis innuit Orator ſummus, quemadmodùm malas cauſas bonas facere Diuina ſapientia, & virtus poſsit, plerumq; & ſoleat. Enimverò quod deteſtabilius excogitari flagitium poteſt, quam Iudæ proditio, Iudæorumq; parricidium, ſi rem in hominibus meditemur? at ſi in Deo quid amabilius profectò? quid vtilius humano generi? Egregium vero Guarino viſum eſt fortunã ſequi, atq; in contumeliam Clariſſimi Imperatoris cum ipſa coniurare, quò eam minùs commiſsi pudeat, ſi ſocios, & patronos habere*

*ſe*

*ſe ſentiat. Ego autèm ad magnitudinẽ animi pertinere plurimùm reor aduerſùs fortunã niti, & cæcã, inſtabilemque cauſam rerum (cum vulgo loquor) contemptui habere, quod Stoici in primis fecerunt. Sed vir nauus, ingenuus, doctus Guarinus eſt: eius de conſilijs, & induſtria quærere non eſt meum; Et ita me Deus amet, vt hunc ipſius laborem ex animo meo propè iam obliuio deleuerat, niſi Academiæ noſtræ ſuperioribus diebus interfuiſſem, quo quidèm tẽpore ipſius Epiſtola lecta eſt, quæ librũ exhibebat. Ex quo auctus rei rumor, & vix ab ijs tueri me valeo, qui à me reſponſionem exigunt, atquè adhuc eſſe meas partes ab Imperatore optimo contumeliã propulſare contendunt. Verùm ego etiam ſi Pompeij virtutes diligo, caſum mœreo, atq; à pleriſq; qui ſibi Cæſarem pœnè prò Deo ſtatuunt, vſque adeò iunior abhorrui, vt cum Dante nunquàm reconciliandam ex eo mihi gratiam, exiſtimauerim, quod Brutum, Caſsiumq; Ciues optimos, ac Tyranni interfectores pari cum Iuda Dei hominis proditore ſupplicio, & loco punierit; tamèn ſecùs cenſeo, & inutilẽ prouinciam ſuſcipere, neq; ætatis meæ, neq; perſonæ duco. Iamdiù genio veteri ſatisfeci. Quicquid mihi vitæ ſupereſſe indulget Deus, illud æquũ eſt in eius vnius honorem conferre, atq; opus, quod iampridẽ meditor oppidò luculentũ, ſi per vires, & æuum licuerit expeditis, quæ incudem occupant, quàm fieri poterit, celeriùs abſoluere. Quocircà ne librum Guarini quidẽ*

*vide.*

videre volui, neq; prius videbo, quàm Pompeianæ diſputationes meæ in lucem proceſſerint, ne titillet, ſortaſsè animum æmulandi ardor, & ſtudiũ laudis. Habeat per nos impunè ſibi Guarinus ſuam gloriã, quòd rem, quæ defendi minimè poſſe videbatur, tamèn defenderit, qua præſertim tempeſtate Pompeio aduerſos adhùc enſes hæreditario quaſi iure noſtro ſanguine ſaturauimus. Hæc idcircò ad te ſcribo, Pandulphe Antiſtes integerrimè, vt Guarino propior eam ſis, in memoriam reuocem conatus pro Põpeio meos antè multos annos à me fuiſſe elaboratos, & in concione Academica publicè habitos, vt nimirùm cum ſub oculos mortaliùm ſe ferẽt, quod propedièm futurum ſpero, qui Ferrariæ remignorãt, harũ mearũ ad te Literarum teſtimoniũ tua auctoritate firmato eruditi ne exiſtimẽt eas eſſe ad Guarini argumenta reſpõſiones, hancq; mihi eſſe cũ viro amiciſsimo, & extrà omnem aleam eruditiſsimo cõtentionem; qui norunt, ne mirentur, ſi cum Põpeij causã, defendendam ſemèl ſuſceperim, nouis tormentorum ictibus nouos aggeres minùs oppono. Tu vt me ames, vti ſoles, te etiam, atquè etiam rogo. Ego te, atquè eximias virtutes tuas, & ſingulares animi dotes, quibus ampliſsima iſthæc dignitas perſpectiùs elucet, perpetuo ſtudio colo, & ſi mea opera vti libuerit, curabo ſedulò, vt intelligas nihil tibi accidere certius poſſe, quam conſtantiam officij mei. Vale. Romæ iij. No. Mar. ab ortu Iuſti cIↄIↄxxxiij.

BAR-

# BARTHOLOMÆO TORTOLETTO

*Viro Optimo, & Eruditiſsimo.*

Alphonſus Epiſcopus Comaclienſis S. P. D.

*VT Artes omnes quaſi cognatione inter ſe continentur; ſic & Artium cultores. Ipſarum Ego Studioſiſsimus, tibi iam tot annos vinculo coniungor amicitiæ, quã ſemper ſanctiſsimè colui. Equidèm ſæpè tuam omnigenam eruditionem vſurpaui ſermonibus cum amicis, quos te diligentes cura ſollicitabat, ne te bonarum artium ſtudijs ità eriperent Aulica negotia, vt ijs diſciplinis, quibus tua Poemata, tuæquè lucubrationes æternum decus pariunt, ſalute dicta, iacere patereris ea, quæ multos antè annos inſtituta, ſi quando perficies, mirum in modum, & poſteris, & gloriæ tuæ ſeruies. Dolebamus etiàm, & vehementèr angebamur te in ſummo virtutum apice conſtitutum, in ſummo quoquè fortunæ faſtigio non collocari, ſed mirabilius eſt rerum humanarum, vt ait ille, Dominam fortunam in tuæ ſocietatèm gloriæ ſe non offerre. Gaudeo igitur, Eruditiſsime Tortolette, te in tua ſapientia non langueſcere, non debilitata eſſe virtute, aut animo fracto, ſed iam te corpus quieti deuouiſſe, vt certè non inertem, atquè otioſum ſpiritum ad*

*extremum vitæ ſpatium traducas. Diſſimulandum non eſt. Trahimur omnes laudis cupiditate, & optimus quiſquè gloriæ dulcedine delinitur. Tu quanquàm ad hanc tuorum laborum aſſequendam mercedem multa, tùm ſoluta, tùm adſtricta numeris oratione in lucem, & aſpectum hominum contuliſti, quorum veluti pabulo, ac lumine tuam vitam poſteritas alet, & ipſa æternitas intuebitur, attamèn pulcherrimam aliam tui animi effigiem, ſummo ingenio expreſſam, ac politam efformare ſtudes ad nouam tui memoriam in Orbem terrarum diſſeminandam; Intellexi enim ex tuis literis, Te in tanta celebritate famæ grauioribus ſtudijs inhiare, vt ex illis magnum aliquid, ideſt Te dignum ad communem afferas fructum; Atq; cum ingenio præſtes, ſapientia valeas, & ex antiquis monumentis præclara quæq; ita delibaueris, vt ad veterum Scriptorum laudem facilè perueneris, ea tamèn fucata ducis, ac inania, niſi cum ſolida laude, cum optima mente, cum Chriſtiana pietate, vno verbo, cum Re prorſus diuina coniungas; Hoc enim opus, Te accuratè, cogitatèq; moliri ex literis tuis accepi. Sed lætor Te nunc plurimùm conſilij, ac diligentiæ adhibere in diuulgandis ijs, quæ olim in defenſionem Pompeij diſſeruiſti, in iſta Humoriſtarum Academia, ideſt in iſto Theatro nobili, ac celebri, atq; eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſq; ſtudijs affluenti; Ad quod te potiſſimum excitat defenſio*

*Cæſa-*

*Cæſaris, quam nnpèr Alexander Guarinus generis claritate, maiorum ſuorum gloria, ſapientiæ magnitudine ſpectatiſſimus in lucem edidit, cum quo Cæſare, ſi tuus vti aſſeris, non dimicabit Pompeius, augebitur, etiàm iſto bonore is vir, cui nullus honor tribui non debitus poteſt. Curabo igitùr, vt tua, quam ad me miſiſti, Epiſtola, in ipſius Alexandri, aliorumquè ſapientium oculos incurrat, vt intelligant omnes Te non libidine contradicendi, ſed ſtudio oblectandi, hæc olim de Pompeio diſceptaſſe, tuumq; deſiderium omni animi mei ſenſu complectar, nullumq; deeſſe patiar officium, quod ad tuam dignitatem, exiſtimationemq; pertineat; Intereà Te oro, & hortor, vt omnes ingenij vires ad res ſacras illuſtrandas feliciſſimè profundas, vt ſapientia tua, hyemante quantumuìs ætate, non ſolum Pompeianæ defenſionis flores emittat, ſed grauioris, ac ſolidioris doctrinæ proferat fructus. Vale, mequè tuis elegantiſſimis Muſis, tuæ multiplici eruditioni, tuo iuſtiſſimo genio addictum, deditum, obſtrictum aſsidua beneuolentia proſequere. Comacli Kalen. Apr. An. cIɔIɔcɔxxxiij.*

Defenſione Pompeij Magni delectatus

# LEO ALLATIVS V.C.

Græca hæc carmina in eam luſit.

*Pompeius loquitur.*

Ἔσπησ' Ἄρηος πουλυάϊκος νέφος,
Μάχαισιν ὀξύς, κῆρα δηΐοις φέρων
Κεραυνὸν ἂν λέξειας ἢ σκηπτοῦ σέλας,
Εἶθαρ καταῖθον πάντα, καὶ σπεύμενον.
Πλήθει τροπαίων, καὶ θριάμβων ἐμπρεπής,
ΜΕΓΑΣ προσκληθεὶς Αὐσόνεσσιν. οὐδὲ μὴν
Ψεύδεσσ' ἔτεγξαν ὄσσαν, αὐτοῖς ἔργμασι
Νικηφόροις στήσαντες ὀρθίαν φάτιν.
Μόλις δὲ ῥεῦμ' ἀνώμαλον προσὸν Τύχης
Νίκαις βαρυνθὲν, τὰς προσηρμένην τὸ πρὶν
Ῥίψειε τε, κἀκκύλυσσεν εὐανθῆ στέφη.
Πάγχαλκος ἔνθεν, καὶ στιχῶν ῥιπαῖς βρέμων,
Θράσει τε ῥωσθεὶς, φωτὸς ἀβληχροῦ πάρα,
Ἐλαττόνων τε πλήθους ἡττῶμαι κακῶς.
Καὶ Φαρσάλου φύζαισιν ἐκβληθεὶς χθονὸς,
Φίλου πρὸς ἄνδρας, οὗ πέποιθα ξενίᾳ,
Ἀδίκως, ἀνοσίως τ' ἐσφάγην χαλκῷ δαμείς.
Ἦν ἆρα τουτὶ πτῶμα πάνδεινον. τί δαί;
Κτεάνων, κεράτοις τε, καὶ μελισταγοῦς φάους
Στέρησις ἔσχεν, ὧν τ' ἔραται χλιδὴ βίου.
Εἶδος μὲν εὐμάρειτον, ὄλβου τ' ἀστατὲς,

Τύ-

Τύχης τ' ἄθυρμα, καρτερῶς ἦγον βλάβην.
Ἐπεὶ δ', ἀλιτρὸς ὢν ἐστι θυμὸς, τινὲς
Μομφὴν ἐπαπείροντες οὐλοῷ δάκει,
Δόξην ἔνιψαν κερτόμοισιν αἰκίαις
Τῆπερ προσέζων, καὶ θανὼν ὑπερφέρων,
Πέπλωκ' ἀτίμως οὐκ ἀναχετὸν τάλας,
Μηδ' αὖ ἔτ' εἶναι, καὶ μᾶλλον θέλω, τὸ μὴ
Εἶναι γε τοῦ εἶναι ἀθλιώτερον φρονῶν.
Μέχρις τάδ' ἐν στήθεσιν ἐξεθεραζόμην,
Ἀλγῶν, ἀχθῶν, φροῦδα τ' ἀλγυνόων κέαρ,
Οἴμους ἀνὴρ Μουσῶν τις εὖ εἰδὼς, φρένιν,
Μῦθον τ' ἄριστος, εὐθαλέσι τ' ἐν γραφαῖς
Δόξης κλυτῆς ἄωτον ἐκκαρπούμενος,
Οὐ ποικίλοις λέχαισι, καὶ κακοστόμοις
Λήροισι ῥίπτων ῥῆμα πρὸς κατηγόρους
Μομφὴν ἐμὴν κύδηνεν, ἀλλ' ἐρηρέσι
Ῥεύσας ἐπαίνοις ἐμπέδοις ὕμνων πτυχαῖς,
Τὰς συντρόφους ὄφελλεν, ἢ Ἵππου ῥέος
Ἢ Κασταλίας, καὶ Πιερίας κλειναὶ Θεαί.
Ἐξεῖλεν ἔργα τἀμὰ τοῦ πρὶν βορβόρου,
Πρός θ' ὕψος ἐξέρθωσεν ὀρθῶν ἐρεισμάτων
Ταρροῖς συνάψας, καὶ παρισώσας ξένως,
Τῶν ἴσμεν αἰὲν ἄρχος εὔιμον πόλιν.
Αὐτὶς δ' ἄρ' ἐκ γῆς, ἧς ὑπεκκείμην, λόγοις
Τοὺς Τορτόλητος συνθέτ', αὖθις ἐς φάος
Ἰθυδρομήσας, καὶ παλινζώῳ ποδὶ
Ἀνστὰς ἀριζήλοις τὸ συνταχθεὶς πρόμοις,
Τόσην ὀφείλω παρμανεστέραν χάριν

Κρέασων ὅσον πέφυκεν ἀπνόου πνέων:
Ψυχή τε χρωτὸς, ἀψίων ὅλων κέαρ,
Γῆς αἰθὴρ, ὁμίχλης φέγγος, ἠδ᾽ ἀδοξίας
Εὔκλεια, λύπης χάρμα. σιωπημὼν λέγω.
Ὅσον τὰ χαρτὰ τῶν ἀπευκτέων πολὺ
Φύσει βελτίω προσφιλέστερ᾽ ἔρχεται,
Τόσον πρὸς εὐφρονοῦντας εὐκλεέστερα
Σοί Τορτόλιτε κείσεται χάρις σοφέ.

Hæc Latinis elegantiſſimis eximiæ
expectationis Iuuenis
MALATESTA ALBANVS
ita expreſsit.

*Martis peregi officia, bellorum acritèr*
*Nimbos refregi, atq; hoſtibus cladem intuli;*
*Dicas fuiſſe fulgur, aut ignem Iouis,*
*Repentè cuncta qui vorauit obuia.*
*Illinc trophæis, hinc triumphis inclytus,*
*Quorum vocatus* MAGNVS *Auſonijs fui*
*Numero colonis; cura non mendax dedit*
*Vim voci, & aſſentatio; Victoriæ*
*Sed veritate nixæ, & auſa fortia*
*Sanxere nomen, quod voluntas indidit.*
*Fortunæ at haud æqualitèr fluxus cadens,*
*Victoriarum inuidia humi, quas arduo*
*Paraueram labore lauros, denique*

*De-*

*Deuoluit, abiecitque fruſtrà floridas.*
*Armatus ære quippè, fretus grandibus*
*Et copijs, audaxque cauſæ nomine*
*Ab Duce nec eo virtute, nec modicis pari*
*Pugnantium phalangibus; victus fui:*
*Iuſtoque pulſus Pharſalo præceps metu,*
*Fuga ſaluti lubricæ dum conſulo,*
*Amico ab homine, cuius hoſpitio fidem*
*Habere debebam, impia manu, & truci*
*Necor, verendum ſica traiecit latus:*
*Igitur meus erat caſus hic miſer nimis;*
*Quis dubitet? ea nam maximæ priuatio*
*Dominationis, dulcis ac vitæ fuit,*
*Vitæ & bonorum, quæ appetuntur, omnium;*
*Me planta verò cum lateret labilis*
*Felicitatis neutiquàm, & ludibria*
*Fortunæ haberem cognita, exegi improbam*
*Noxam ferendo fortitèr. Sed cum virum,*
*Quos criminandi innoxios ſtudium occupat,*
*In ora, linguas & furentes incidi,*
*Lethalibus quæ me appetentes morſibus,*
*Sparſere fœdis nomen opprobrijs meum,*
*Et verberarunt gloriam conuicijs,*
*Qua viuus, & qua mortuus placui mihi;*
*Tum mi eſſe videor minimè tolerantèr miſer,*
*Spoliatus altis gloriæ monilibus;*
*Neque eſſe cupio, nec manere in poſterùm,*
*Malè eſſe, quam non eſſe, ducens peſſimum.*

*Quæ cum dolente voluerem animo iamdiu,*
*Mœrore nec tabeſceret non cor mihi*
*Fruſtrà; Vir ecce ſemitas callens probè*
*Muſarum amænas, inſuper prudentia,*
*Verbiſque benè florentibus valdè optimus*
*Veræ, inclytæque laudis excerpens ſibi*
*Florem, in procaces motus aduerſarios*
*Aboleuit vltrò dedecus mihi additum,*
*Non ille ſanè vanitate futili*
*Sermonis vſus inepti, & incomptis ſonis,*
*Sed glorioſis, optimiſque laudibus,*
*Labente mirùm eloquio, & egregijs modis,*
*Quos dant fluenta Pegaſi clientibus,*
*Deæue claræ culminis Pierij,*
*Meà geſta cœno è priſtino exemit, locans*
*Operum bonorum debito in faſtigio,*
*Meque Imperatoribus amicè admiſcuit,*
*Quorum vagari fama ſueuit clarior,*
*Aequumque ſtatuit arte facunda, & graui.*
*Ipſe itaque ab atro, quo tegebar, puluere*
*Cum Tortolettus ritè vindicijs ſuis*
*Me reddit æquo lumini, rursùm pede*
*Vita fruente ſurgo, rurſum prodeo,*
*Celeberrimis belli Ducibus aptè additus,*
*Aeterniorem gratiam tantò quidèm*
*Huic debeo, quantò melior eſt mortuo*
*Viuens, animaque corpore, atque cæteris*
*Cor antefertur artubus, quantò ſola*

*Præ-*